

405

m.

7. P.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE

PRÆDESTINATIONE,

Quam

Indultu Amplissimæ Facultatis Theologicæ

SUB PRÆSIDIO

Maximè Reverendi, Magnifici atque Amplissimi

DOMINI

JOHANNIS HULSEMANNI,

Doctoris Theologi, P.P. longè celeberrimi, Consi-
stor. Elector. atque Ducal. Ecclesiast. Adfessoris, Capituli Zizensis Præ-
positi, Academiæ Decemviri, ad D. Nicolai Pastoris &
Ecclesiarum Lipsiensium Vicinarumque
Superintendentis gravissimi atque
vigilantissimi,

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui

Filiali obsequio & nullo non honoris ac observantiæ
cultu ætatem prosequendi

placidè ventilandam proponit

THEOPHILUS VVILDIUS VVALDHEIM.

Phil. Mag.

Die XXIII. Novembris

In Auditorio Majori H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Typis JOHANNIS VVITTIGAU.

ANNO M. DC. LVIII.

Vizo

*per Reverendo atq. Cla-
ssic. M. Christophoro Benedicte Ge-
pastori Waldheim. Vicinarumq.
ctori vigilantissime, Pavis fu sub
lendo mittit Hulse*

15.

DIPTERIS

DIPTERIS

DIPTERIS

DIPTERIS

DIPTERIS

DIPTERIS

Handwritten text in a cursive script, likely a list or notes, located in the bottom left corner of the page.

21

□ □ □

§. I.



Or *Prædestinationis*, si accuratè loqui velimus, non est *Biblica*, sed *Ecclesiastica*. Quamquam enim nomen *προορισμός* & verbum *προορίζειν* vulgò *Prædestinationis* & *Prædestinandi* vocabulis transferantur, propriè tamen id non fit. Simplex siquidem *ὄρος*, terminum, limitem seu finem alicujus agri vel regionis significat; Hinc *Lucian.* in *Macrob.* οἱ Περσῶν καὶ Ἀσσυρίων ὄροι. Et

Demosth. ὁ δὲ οὗτος ὄρος ἐπέστη τῇ ἐχθραῖ. nullus finitor seu limes erat sibi erectus: unde & verbum *ὀρίζειν*, idè est, ac terminare, finire. Ab hoc descendens compositum *προορισμός* propriè notat *præfinitionem* & *προορίζειν* *prædeterminare*, prius *determinare* (particula Græca *πρό* latinè *præ*, vel prius redditur) *prælimitare*, *prædesinire*, abstractâ qualitate finis ad què quid prædefiniatur vel prædeterminetur. Apud Latinos autè scriptores verba *destinare* & *prædestinare* semper involvunt qualitatem finis, ad quem quis vel quid destinatur, ut apud *Columel.* *Considerandum est, ut solum, quod excolere destinamus, pingue sit.* Sic *Cic.* *Cæsar de ampliando Imperio multa ac majora indies destinabat: & in Offic. passim: diem necis destinare.* Aliaque similia quàmplura. Ex quibus patet, vocabula *προορισμός* & *προορίζειν* minùs propriè transferri per *prædestinationem* & *prædestinare*. Et hanc ob causam etiam *Orthodoxi* indifferentem significationem vocabulorum *prædestinationis* & *prædestinandi*, tam ad bonum, quàm ad malum finem non admittunt, quia sc. vox ipsa qualitatem finis debet exprimere. Interim tamen non negamus, sed ultrò fatemur à nonnullis Patribus hæc ipsa vocabula *prædestinatio* & *prædestinare* latius extensa fuisse, quàm in sacris literis usurpantur, ita ut Patres *prædestinationem* genericè interpretati sint *decretum tum de salvandis electis, tum de damnandis incredulis atque reprobis.* Loca citata vide apud *Meisnerum Anthropol. Dec. 2. disp. 4. §. 8. Broehm. Loc. de præd. c. 1. sect. 2. §. 1.* Nullus tamen illorum eousque progredi ausus est, ut *prædestinationis* latitudinem extendisset ad *destinationem reproborum*, non solum

A 2

ad

ad pœnam, sed etiam ad culpam. In universo autem codice verbum *ωεγωγιζεν*, sive rebus accommodetur, ut 1. Cor. 2. 7. loquimur sapientiam in mysterio, quæ abscondita est *ἢν ωεγωγιζεν ὁ θεός* sive personis, nusquam occurrere in ea significatione, quâ quis vel quid ad malum finem prædestinatur, sed semper bonum à Deo intentum finem importare, cum B. Mentzero Tom. 1. Gies. disp. 14. §. 14. B. Gerhar. LL. L. de Elect. & reprob. c. 2. §. 27. p. 123. seq. aliisque Nostratum constanter affirmamus. Quam adsertionem confirmat inductio locorum omnium. Rom. 8, 29-30. 1. Cor. 2, 7. Eph. 1. 5. 11. Act. 4. 28. qui locus ultimus frustra nobis objicitur ab Adversariis quasi in hisce verbis: *Herodes & Pilatus fecerunt, quicquid manus tua & consilium ωεγωγιζεν γενέσθαι*, Deo tribuatur destinatio mortis Filii ad malum finem, vel ad Herodis ac Pilati interitum, quin potius mors Christi etiam ad eorundem salutem à Deo præordinata sit, quia etiam in eruce pro his Christus oravit Esa. 53. ult. Vid. Fessel. Advers. lib. 1. c. 4. §. 2. p. 36. loca Luc. 22, 22. & Act. 2. 23. enucleantem & à *ψευδευμνεία* Calvinii lib. 1. instit. c. 18. sect. 1. 2. 3. & Zanchii lib. 3. de Nat. Dei, c. 2. q. 5. vindicantem: ubi distinguit inter actum ipsum & salutarem ejus usum. Actum ipsum Judæ, Pilati, Caiphæ, Herodis aliorumque Judæorum Christum tam crudeliter tractantium fuisse impium & diabolicum: Deum autem, cui mala ac perversa Judæ & aßeclarum voluntas ac incorrigibilis malitia ab æterno probè perspecta erant, illud ipsum, quod illi spontè facturi essent pessimè, ad bonum ac salutarem finem, nimirum Redemptionem & salutem generis humani convertisse optimè ac sapientissimè. Et hæc veritatis evidentia etiam nonnullos Adversariorum eò ad egit, ut ingenuè confessi fuerint, prædestinationem acceptione biblicâ solùm electionem ad vitam æternam notare. Sic enim citante Ger. l. d. §. 31. & Meisii. Anthrop. Doc. 2. disp. 4. §. 8. & part. 1. phil. Sobr. sect. 1. q. gram. 3. p. 392. Zanchius lib. 5. de N. D. c. 2. q. 1.: Scripturæ nomine Prædestinationis propriè significare solent Sanctorum electionem & ad vitam æternam deputationem antè mundi constitutionē factā. Cui suffragantur Ursinus part. 2. explic. Catech. p. 229. & L. Trelocatius l. 2. LL. c. 27. de præd. fatentes, Scripturas propriè hoc nomine prædestinationis significare actum destinationis ad salutem æternam in mente divina existentem. His addatur Keckermannus Syst. Theol. l. 3. c. 1. ubi ex principiis

cipiis Philosophicis refutat fidei suæ sociennos. Quod probè notan-
 dum contra Polanum in Syllog. disp. part. 2. de predest. p. 664. teme-
 rariè adferentem: illos graviter peccare, qui voce predestinationis in
 bonà tantum parte utuntur; Bucanum, Piscatorem, Wendelinum atq;
 alios, qui omnes vocem predestinationis etiam in propriâ suâ signifi-
 catione extendunt ad electionem & reprobationem. Pro nobis etiam
 decisum est in Concilio Arausicano II, in Galliis sub Leone I. Rom.
 Pontif. Anno 445. celebrato, juxta Tom. II. Conciliorũ Edit. Ven.
 Centuriatores Magdebb. cent. 5. c. 9. & ex illis Osiand. Epit. Hist.
 Eccl. cent. V. lib. 2. c. 31. p. 309. quando Concilii Patres can. 13. & secun-
 dum Osiandr. cap. 25. sic statuerunt: Aliquos ad malum divinâ potestate
 predestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si qui sunt, qui
 tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema
 dicimus. Quod statutum postea confirmavit Concilium Mogunti-
 num II, anno 848. à Rabano Mauro, Archiepiscopo Moguntino
 jussu Ludovici Regis Imperatoris Lotharii I. fratris, habitum con-
 tra Godeschalcum Monachum Remensem malè de libero arbitrio, de
 predestinatione & sanguine Christi docentem. Ut & Valentianum
 in Gallia tempore Leonis IV. papæ contra Hæreticos Predestinatio-
 nos (ut habet inscriptio istius Concilii) anno 855. coactum.

§. 2. Ex dictis facilè liquet, quos Orthodoxi Predestinatorum no-
 mine intellectos velint, eos nimirum, quos Deus ex certâ hypo-
 thesi & certo ordine destinavit perducere ad æternam gloriam, ju-
 xta illud Eph. 1, 11 In Christo predestinati sumus juxta propositum
 Dei efficientis omnia secundum consilium voluntatis suæ. Illud etiam
 hîc non est sicco pede prætereundum, quod ex inscriptione Conci-
 lii Valentiani colligere licet, fuisse olim sectam quandam, quæ in
 doctrina de predestinatione idem quod Calvinus & Zvinglius do-
 cuit, cujus adstipulatoribus ob id, Predestinatorum, vel ut Genna-
 dius Massiliensis in libro de Hæresibus eos vocat, Predestinatiano-
 rum nomen ab antiquis impositum est. Verba Gennadii hæc sunt,
 descriptore Vossio Histor. Pelag. l. I. c. 10. p. 41. Predestinatiani sunt,
 qui dicunt, quod Deus non omnes homines ad hoc creavit, ut omnes sal-
 ventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus; quod etsi gene-
 rali predicatione dicat, venite ad me omnes, qui laboratis & onera-
 ti estis, & ego reficiam vos, non tamen omnes eâ voluntate vocet, ut

omnes sequantur vocantem: sed nec omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendi in bono opere perseverantiam, sed post multos labores & justitie fructus, si non sint de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono: & è contrario illos, qui predestinati sunt ad vitam eternam, etiamsi in perfidia vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, quâ & credant in Deum, & secundum Dei preceptum vivant, ut possideant societatem justorum. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat. Quod alios etiam invitos, post multa mala opera attrahat ad salutem; alios post bona opera rejiciat, & compellat in malum, quo pereant in eternum. Predestinatorum etiam meminit Tiro Prosper in Chronico ex Biblioth. S. Vict. quando ait: Predestinatorum hæresis his temporibus serpere exorsa est, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium. Huic adjungendum est testimonium Sigeberti Gemblacensis, qui in chron. ad annum 414. ita scribit: Predestinatorum hæresis in hoc tempore cæpit serpere. Qui ideo predestinati vocantur, quia de predestinatione & divina gratia disputantes asseriebant, quod nec pie viventibus profuit honorum operum labor, si à Deo ad mortem predestinati fuerint: nec impiis obsit, quod improbe vivant, si à Deo predestinati fuerint ad vitam. Quæ adsertio & bonos à bonis avocabat & malos ad mala provocabat. Hæc hæresis ex libris Augustini malè intellectis initium sumsisse dicitur. Ex Nostratibus etiam videantur Magdeburgenses cent. 5. cap. 5. Et Osiander Epit. Hist. Eccl. cent. 5. lib. 1. c. 27. p. m. 110. & seq. B. Chemnit. part. 1. LL. de caus. peccati c. 2. f. 144.

S. 3. Jacobus Sirmondus Jesuita & Regis Galliæ Ludovici XIII. Confessarius, qui fermè integrum seculum vivendo implevit, edidit anno 1643. tractatum incerti cujusdam Authoris, cui titulum fecit *Predestinatus seu Predestinatorum hæresis* (Dividitur autem hic tractatus in tres libros, quorum primo varias hæreses recenset, & has inter ultimo loco ponitur *Predestinatorum*. Secundo sub nomine Augustini conficte ipsa hæresis fusiùs explicatur. Quem excipit tertius, qui dicitur refutatio superioris libri Augustino temerè adscripti) quem dicit ab Authore ante annos mille ducentos conscriptum. In hujus libri frontispicio statim post præfationem citata sunt varia veterum testimonia quæ *predestinatorum* hæresin olim extitisse planè con-

con-

confirmant, ut sunt *Prosperi, Arnobii junioris*, (hunc istius tractatus Authorem fuisse conjicit *Sirmondus* in præfatione) *Johannis Erigenæ, Fausti Regiensis Episcopi, Gennadii Massiliensis & Sigeberti Gemblacensis*, quorum nonnulla §. præced. à nobis allegata sunt. Adstruunt etiam existentiam hujus hæreseos illi, qui historiam *Godeschalci Monachi Remensis*, cujus supra §. 1. sub finem mentionem fecimus, scriptis consignarunt. Eundem enim hæresin olim damnatam revocasse & dicere quod veteres *Prædestinatiani* dicebant, testis est *Hincmarus Remorum* in Galliâ Episcopus in sua Epistola ad Nicolaum Papam Anno 848. apud *Vossium* l. c. lib. 4. part. 7. pag. 738. In quâ recenset capita doctrinæ *Godschalcianæ*, quæ ipsemet *Godschalcus* peculiari scripto complexa *Synodo Moguntia* anno 848. coactâ obtulisse dicitur, & hæc sunt : 1. *Geminam esse prædestinationem, unam electorum ad requiem, alteram reproborum ad mortem. Et Deum sicut quosdam ad vitam eternam prædestinavit, ita etiam quosdam ad mortem eternam prædestinasse.* 2. *Deum non velle omnes salvos fieri, sed eos solum, qui actu salvantur.* 3. *Christum Jesum Dominum & Salvatorem nostrum non pro omnibus esse crucifixum & mortuum, sed pro his tantum, qui salvantur.* 4. *In illis Perri verbis : eum, qui emit eos, Dominum negantes, per emptionem intelligi Baptismi perceptionem : eos enim, qui pereunt, nunquam verè, sed tantum Sacramento tenus esse redemptos.* Sed hæc doctrina in *Synodo Moguntina* à *Rabano Mauro Archiepiscopo Moguntino, Haymone Halberstadensi Episcopo* aliisque XVI. Episcopis damnata fuit, & *Godeschalcus* cum literis ad *Hincmarum Remensem* ordinarium suum Episcopum remissus fuit, ex cujus sententia virgis cæsus, & quia resipiscere à pravitate sua neque desistere ab errore vellet, ne aliis noceret, monasteriali custodiae mancipatus est.

§. 4. Ut autem *Godeschalci* acerrimi *Prædestinatorum* hæreseos defensoris & propugnatoris doctrina ab Episcopis quibusdam Germanis pariter & Gallis vehementer impugnata & in *Synodo Moguntina*, prout modò dictum est, repressa fuerit, non tamen penitus extirpari potuit, quin potius sectatores præsertim in Episcopatu *Lugdunensi* invenerit, quos inter *Remigius*, tunc apud *Lugdunenses* Archiepiscopus pro viri causa *Godschalcianæ* patronum egit, doctrinam tamen *Godschalci* non in totum, sed ex parte tantum approbans, quod

COR-

constat tùm ex responsione ejusdem ad *Erigenam*, tùm ex decretis *Lugdunensis Ecclesiæ & Valentine Synodi* tempore Lotharii I. Imperatoris anno 855. celebratæ; in quâ tamen rursus hæc hæresis una cum *Johannis Erigenæ* doctrina damnata fuit. Erat autem ille *Erigena*, ut paucis dicamus, natione Scotus vir perspicacis ingenii & facundiæ singularis, ut est apud *Vossium* l. c. p. 741. qui alios inter adversus *Godeschalcum* ejusque sectatores calamum stringens, sed ut sæpè fieri solet, nimio disputandi fervore abreptus in oppositum errorem, electionem nempe ex prævisione bonorum operum, sive boni ulus liberi arbitrii, factam inclinans, à suis met discipulis stylis scriptoriis confossus periit, & quidem, si *Vossio* fides habenda, ob dogma de Eucharistiâ, de qua idem docuit, quod postea *Berengarius*. Historiam ejus qui desiderat, consulat modò nominatum *Vossium* l. c. p. 741. seqq. ubi etiam Epicedium ejus inveniet. Ut autem ad *Godeschalcum* redeamus, idem etiam *Sirmondus*, quem §. anteced. citavimus, sequenti anno post editum *Prædestinatum* publici juris fecit epistolam quamdam *Amolonis* Archiepiscopi Lugdunensis ad *Godeschalcum*, ubi etiam inter accusatione 7. p. 42. gravissimè invehitur in *Godeschalcum*, quod omnes insanix suæ renitentes, *Rabanicos*, à bono ac erudito viro atque catholico Episcopo *Rabano Mauro* Archiepiscopo Moguntino, cujus supra etiam meminimus, nuncupare præsumat. In hac Epistola *Amolo* septem errorum *Godeschalci* mentionem facit, sed qui revera cum istis ab *Hincmaro* recensitis coincidunt, quod conferenti ad oculos patet.

§. 5. Atque sic ex Veterum scriptis hætenus ostendimus, fuisse omninò quosdam hæreticos, qui in hoc capite de absoluta decreto & gemina ad vitam & mortem prædestinatione cum Calvinianis ex arte conspirarint, & tales ab antiquitate non solum pro hæreticis fuisse habitos, sed & eos ob hæresin *Prædestinatorum* nomine nuncupatos. Neque etiam hoc quempiam sive ex Calvinianis sive ex Papistis, etiam si in doctrina de prædestinatione absoluta cum illis faceret, ante *Jansenium* celebrem dum in vivis erat apud suos *Iprensum* Episcopum inficias ivisse deprehendimus. *Vossius* certè, laudatus à *Riveto* *crit. sacr. l. 1. cap. 18. historia sue Pelagianæ lib. 1. cap. 8. pag. 34. de Prædestinarianis* hæc refert: *Erat id temporis Lucidus presbyter, qui sequebatur sententiam Monachorum Aduemetinorum, ita gratia omnia*

omniatribuentium, ut arbitrii libertatem tollerent. Adversus quos Augustinus scripsit duos commentarios, unum de gratia & libero arbitrio, alterum de correptione & gratia. Vocaturque hæresis Prædestinatorum sive Prædestinarianorum, quam Sigebertus ex libris Augustini male intellectis ortam testatur anno 415. Quæ repetit cap. XI. p. 49. in historia de Arnobio juniore. Nec abludit Petrus Molinaeus in Anatom. Armin. cap. 30 p. 206. eadem cum Vossio concedens: Idem quoque probant Catalogi hæreticorum Alstedii, Johan. Phil. Parei aliorumque. Ex Pontificiis videantur Bellarminus de Script. Eccles. ad Hincmarum & Gennadium, Baronius ad an. 490. Henricus Spondanus ad Annum 520, Genebrardus in Chronico, Svaretz de grat. proleg. 5. n. 1. & Dionysius Petavius de dogm. Theol. tr. 4. l. 13. cap. 6. quorum omnium constans est sententia, fuisse olim hæreticos Prædestinarios dictos.

§. 6. Verum enim verò quanquam hæc omnia ita sese habeant, at tamen Cornel. Jansenius Iprensis Episcopus omnium primus & nomen & hæresis ipsam Prædestinatorum in cœpit vocare in dubium, dum Tom. I. Op. l. 8. cap. 23. inscribit hoc modo: de Prædestinarianis & eorum hæresi. Non est hæresis, sed calumnia, quâ Masilienses S. Augustini doctrinam infamarunt. Explicat deinceps suam opinionem vel potius suspicionem, se existimare, nunquam in rerum natura fuisse hæresin Prædestinarianam vel hæreticos Prædestinarios, sed è contrario doctrinam catholicam, quam S. Augustinus & Prosper docuerunt, sub nomine istius hæreseos calumniosè à Masiliensibus traductam esse & hæreticos illos Prædestinarios nullos alios fuisse, quàm ipsum Augustinum, Prosperum, Hilarium atque alios doctrinæ eorū sequaces hoc nomine à Semipelagianis suppressis ipsorum nominibus indigitatos: Non secus atque olim orthodoxi traducti fuerint Homosiani, & nos Ubiquitistæ, Fidesolarii, Impianistæ, & quæ sunt hujus furfuris alia plura. Adeoque non dubitat Jansenius Augustinum aliosque orthodoxos Patres monstrasæ de absoluto decreto sententiæ Patronos facere. Et hoc ipsum est, quod post eum Calviniani moderni, absoluti decreti defensores, avidè & quod ajunt ambabus manibus arripuerunt. Jacobus Usserius Armachanus in Hybernia Archiepiscopus laudatus à Riveto Crit. sac. l. 4. cap. 14. toto cap. 2. tract. de Godeschalco probare conatur, Pelagianos monstrum

B

strosum

strosam *Prædestinatorum* nomen excogitasse & hoc ipso *Augustinum* ejusdemque in fide sectatores traduxisse; nomen esse calumniæ, non hæreseos. Conatum hunc *Usserii* laudat *Johannes Forbesius* à Corfe Aberdoniensis in Scotiâ Episcopus *Instr. Histor. Theol.*, anno 1645. edit. l. 8. c. 29. quod inscripsit: *de commentitia hæresi prædestinariana*. In illo unicè hoc agit, ut probet, nullam unquam extitisse hæresin *Prædestinarianam*, sed falsò fuisse confictam à *Pelagianis* vel *Semipelagianis*, orthodoxam S. *Augustini* sententiam injustâ hac criminatione prægravantibus. Eadem repetit *Joh. Henricus Hottinger* Professor Heidelbergensis *Hist. Eccl. part. I. c. 9. sect. 5. p. 671*. Cum his in hoc capite causæ conspirant moderni pacificatores seu Syncretistæ, qui & ipsi *Augustinum, Prædestinatorum* faciunt Antesignanum, quo se faciliùs obtinere possint, Calvinianorum errores, quos circa prædestinationis decretum fovent, non evertere fidei salvificæ fundamentum, neque dissolvere Christianæ fraternitatis vinculum, adeoque ipsis immeritò à nobis dextram fraternitatis denegari. Videatur D. *Calixtus* in *judicio de controversiis Theologicis inter Lutheranos & Reformatos*, & D. *Dreierus* in *gründlicher erörterung ecklicher schwerer Theologischer fragen* q. 4. ubi, ut cætera taceam, in notis marginalibus hæc habet: Die Prædestinatiani sind aus Augustini lehre hervor gekommen: & p. 356. satis confidenter scribit: Derohalben ist unfehlbar die meinung Augustini gewesen, daß Gott habe aus bloßen Willen und Wohlgefallen/ ohne ansehen des ungläubens und widerspänstigkeit der Menschen/ eckliche in der Erb-Sünde und verdammniß stecken lassen/ welche verdambt würden bloß umb der Erb-Sünde willen/ denn GOTT ihm niemahlen fürgenommen/ sie daraus zuerlösen &c.

S. 7. *Sirmondi Prædestinatus* s. 4. citatus, anno 1645. denuò recusatus prodiit unà cum censura *Auræi* Doctoris cujusdam Sorbonici, ut inscriptio habet. Ad quam censuram provocat *Rivetius* in *Dialysi Discus. Grot. c. 1. n. 10*. Quâ in Censor refutat Authorem de *Prædestinatorum hæresi* à P. *Sirmondo* editum, dicens p. 61. *suppositivum illum librum à Semipelagianis esse ortum*, atque hinc idem, quod *Jansenius, Usserius, Forbesius* aliique supra à nobis allegati de *Prædestinarianis* senserunt, nullam nimirum unquam extitisse hujus nominis sectam, probare conatur. Ut autem negandum non sit, scripti

407.

scripti *Sirmondiani* librum *tertium* seu *refutationem* libri sub *Augu-*
stini nomine conficti olere *Spiritum Pelagianum*, quod censura c. 1.
§. 1. 5. 6. *seqq.* c. III. per totum & c. 4. p. 46. rectè probat. Certè
Pelagianum aut saltem *Semipelagianum* est, ut ex multis unum ad-
ponamus, quod Author *refutationis* istius, *totum ambitum præve-*
nientis gratiæ tantum in missione Christi & prædicatione verbi, vel ut
censor p. 15. loqui amat: *gratiæ, quâ DEUS voluntates nostras præ-*
venit, nosque ad iustitiæ & in Ecclesiam ducit, in hisce duobus tan-
tum consistere statuit, in voluntate sc. nos salvandi & pro nobis mortem
obeundi, & in verbo quo nos hortatur, excitat tum promissis tum minis,
NON autem in *intrinseco motu cordis*, quem Deus in animis vocato-
rum excitat: Exinde tamen nequaquam sequitur, nullam unquam
in rerum natura extitisse hujus nominis sectam. Num propterea
Conciliis & testimoniis Prosperi, Arnobii, Hincmari, Gennadii, Si-
geberti aliorumque superius citatis deroganda erit fides? Imbecillis
certè *judicii indicium* est, quod censor c. 4. p. 46. ex identitate *Styli*
in vocibus, figuris, terminis & barbarismis, in utroque libro & scri-
pto & *refutato* occurrentibus, unum utriusque fuisse Authorem præ-
sumit. Paritas *styli* paritatem quidem temporis & loci arguit, Au-
thores nempe fuisse *συγχρόνως* & iisdem in locis vitâ functos, neuri-
quam verò utriusque operis unum idemque fuisse architectum.
Nec juvat Censorem, quod p. 55. objicit: *Isidorum Hispalensem,*
describendo *Gennadii* catalogum *Hæreticorum*, ubi ad *Prædestina-*
tianos venit, loco illorum sectam *Semipelagianorum* posuisse. Id
enim *Isidoro* 200. annis *Gennadio* juniori vitio vertendum est. Neq;
est, quod obvertat censor p. 51. & 52. *testimonia Prosperi & Sigeberti*
differre: *Prosperi* verba sunt: *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Au-*
gustino dicitur accepisse initium, his temporibus exorsa est: Sigeberti vero
hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumisse dicitur:
Hæc censor *Sophisticè* committit, quasi *Prosper* dixisset: *Hæresin ex Au-*
gustino cœpisse initium: Sigebertus: ex libris Augustini male intellectis,
cùm tamen ille dicat: *ab Augustino (sive ejus ætate) dicitur accepisse*
initium. Cæterùm censuram illam in librum *Sirmondii*, qui dicitur
Prædestinatus, ab Authore aliquo Romano Catholico profectam esse,
hâud immeritò adhuc dubitatur, quando quidem in illa occurrunt,
quæ & *Concilio Tridentini decretis & communi Pontificiorum do-*

& trina contrariantur v. g. p. 12. castigatur illud tanquam impium & Diabolicum, quod ab Authore Sirmondiano dicatur *concupiscentia in renatis esse relicta ad agonem & premium*, id quod tamen *Conc. Trident. sess. 5. cap. 5.* expressè docet. p. 63. carpit censura in Authore *Prædestinati*, quod inter vera sacramenta Chrysmâ ponit, dum ait: *in illo debere nos spei nostræ firmamentum constituere tanquam in Baptismo & in Eucharistia.* Suggillat etiam censor, quod à *Prædestinato* nulla facta fuerit mentio impositionis manuum, ubi de confirmatione loquitur, cum tamen olim chrysmâ ad confirmationem non fuerit habitum necessarium, sed eandem solâ manuum impositione per secula multa & præcipuè illo, quo Author iste vixerit, nempe V. fuisse peractam. Quod nullus Sorbonista facile concedet, cum sit contra *Concil. Trident. sess. 7. cap. de confirm. can. 1.* Multa præterea probra P. Sirmondo objicit pag 49. sarcasticè eum vocat *egregium temporum in historia observatorem & chronologum*, pag. 51. perstringit eum, quod veritatis fulgorem obscurare tentarit, p. 63 64. 65. dicit, *eum Jesuitico more rem privatam publicæ præferre, cæco impetu in rem suam & propriam gloriam, pro quâ pugnet, ferri, & quæ sunt similia quam plura, quæ fermè indicant censuram hanc Calvinistæ potius quam Pontificii cujusdam foetum esse.*

§. 8. Nostram verò hac de re sententiam sciscitanti respondemus, nobis omninò vero similiorem videri illorum sententiam, qui statuunt fuisse olim aliquam hæresin *Prædestinatorum* nomine nuncupatam, quàm eorum, qui eandem hodiè inficias ire summo conatu allaborant. Id quod patere putamus, si quis testimonia cum testimoniis, Authores cum Authoribus absque omni præjudicio componat. Esto autem, quod tamen nequaquam cuiquam concessum volumus, nomen illud *Prædestinatorum* sive *Prosperi & Arnobii* ætate pervulgatum fuerit, sive demum seculo VIII. tempore *Hincmari*: imo verò planè sit confictum, prout sunt nomina *Homousianorum, Impanistarum, Ubiquitistarum* & alia ejusmodi, non tamen negandum est, dogma ipsum, quod hodiè Calvinistæ cum *Godeschalco* aliisque *Prædestinatis* commune habent, inde ab initio Ecclesiæ fuisse habitum pro hæretico, pariter cum *Valentini, Marcionis, Hermogenis, Manetis, Terebinthi*, atq; aliorum erroneis dogmatis. Id quod ostenditur à *B. Chemnitio part. 1. LL. de causa peccati*

11

tit. 2. de certam. Ubi tūc ex ipsis Scriptoribus, tūc ex Fulgentii
Ruspensis Episcopi lib. 3. ad Monimum modernam Calvinianorum
doctrinam de Prædestinatione refutat. Et in Epistola Amolonis ad
Godeschalcum nihil frequentius est, quàm ut universæ Ecclesiæ con-
sensus & fides dogmati Prædestinatorum opponatur p. 20. 21. 22. 31.

§. 9. Sed, ut è diverticulo ad rem redeamus, explicatā jam Ety-
mologiā vocis *prædestinationis*, tūc ad Synonymian pergendum est.
Evoluto autem sacro codice deprehendimus *prædestinationi* æqui-
pollere vocabulum *electionis* specialissimè & strictissimè acceptum,
(reliquos significatus, dum electio sumitur vel *generalissimè* pro
approbatione & dilectione rei eximia, vel *generaliter*, pro selectio-
ne & separatione tam hominum, quàm rerum ad certum usum,
modò *specialiter* pro electione alicujus populi & vocatione ad Ec-
clesiam, jam non attingemus, videri possunt de his B. Meisn. Anthr.
Dec. 2. disp. 4. §. 6. n. 1. 2. 3. 4. Gerhard. T. 2. LL. de Elect. c. 2.
§. 24. Mentzer. Tom. 1. Giess. disp. 14. §. 16. seqq.) quod Apostolus
inculcat Eph. 1. 4. *Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi,*
v. 5. *qui prædestinavit nos in adoptionem Filiorum Dei.* Et quos Rom.
III. 3 dixerat: *ὅς θεὸς προέλεγεν*, v. 33. expressè vocat *ἐκλεκτὸς θεὸς*.
Patet hinc absurditas quorundam Calvinianorum tale discrimen in-
ter hæc duo vocabula fingentium, ac si prædestinatio facta sit ab æ-
terno, electio verò demum in tempore contingat. Item eorum, qui
dicunt: *prædestinationem esse omnium hominum: electionem verò*
tantum paucorum, credentium nimirum. Contrarium testantur loca
jam citata, in quibus utrumque vocabulum ab Apostolo promiscuè
ufurpatur, ita, ut æqualis ambitus ac latitudinis esse demonstret: &
tam electionem, quàm prædestinationem ante jacta mundi funda-
menta, i. e. ab æterno clarè confirmet. Quibus addi potest illud, quod
2. Thess. II, 13. dicit: *nos debemus gratias agere Deo semper, quod e-*
legerit vos ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν. Interim tamen neque negamus
neque ignoramus à nostris Theologis statui, inter hæc duo voca-
bula esse quandam differentiam, ita quidem, ut electio ratione or-
dinis prior concipiatur, quàm prædestinatio; primùm enim ex ge-
nere humano eligi perseveranter credituros & ordine postea ad
vitam æternam prædestinari. Electionem tantum versari circa ho-
mines, prædestinationem verò etiam ad media extendi, Denique
quod

quod electio respectum simul involvat ad impios & damnatos & quibus credentes in Christum separantur & feliguntur, quia eligere sic unum accipere alterum relinquere, ut Salvator innuit Joh. XV. 19. *Ego elegi vos de mundo*: προορισμός, verò respiciat terminum, qui est vita æterna ad quam electi custodiuntur & servantur Rom. VIII. 30. Sicut autem electio duo notat 1. *Segregationem*, quæ res vel persona ab altera separatur: vid. loca Num. 16, 9. Deut. 7, 6. Coll. cum 1. Reg. 8, 53. 1. Par. 15. 2. 2. *gratuitam dilectionem*: eligimus enim plerumque ea, quæ nobis præ aliis grata & dilecta sunt, juxta illud Deut. IV, 37. *quia dilexit Jehovah patres tuos, elegit semen eorum post te*: quod repetitum vide cap. VII, 6. 7. 8. Ita quoque prædestinatio duo involvit 1. *prævisionem*: elegit enim nos Deus κατὰ πρόγνωσιν Rom. 8, 29. 1. Petr. 1, 2. Hinc *Hubertus Senior de prædest. cæca esset electio, si oculum præscientiæ erueris*. 2. *Ordinationem* per certa media ad certum finem, hoc est, beatitudinem æternam Act 13, 48. Ephes. 1, 11. 2. Timoth. 1, 9. Inde etiam liquet falsitas dogmatis ab *Hubero* excogitati de universalitate electionis. Si enim electio, prout vidimus, vi nominis separationem quandam rei alicujus vel personæ præ altera includit, utique non omnes possunt dici electi, & per consequens electio universalis σιδηρόζυλον est. Nec juvat *Huberum* distinctio inter ἐκλεκτός nominaliter & ἐκλελεγμένος participialiter, quam ita accommodat; paucos esse ἐκλεκτός nominaliter, omnes autem ἐκλελεγμένους participialiter. Sed præterquam, quod omni Scripturarum auctoritate destituatur, quippè in quibus hæc vocabula pari passu ambulant, quod testatur illud Salvatoris Matth. 13, 30 propter ἐκλεκτός, ὃς ἐξελέξατο ὁ θεός, &c. etiam participium ἐκλελεγμένος æquè componitur cum præpositione ἐκ habente vim segregandi aut eligendi, atque nomen verbale ἐκλεκτός. Quicumque igitur à Deo eliguntur, illi sunt electi, & qui non sunt electi, illos Deus non elegit. Vide *Meisner. Dec. 2. disp. 7.* per tot. Reliqua Synonyma electionis & electorum, ut sunt *inscriptio in librum vitæ, consignatio nominum in cælis, in manu Domini, adoptio in filios & hæredes vitæ æternæ*, atque alia lege sis apud *B. Gerh. l. c. §. 35. seqq. Mentz. d. disp. 8. 19.*

§. 10. A definitione *nominis* ad definitionem *rei* ut progrediamur ordinis ratio efflagitat. Cùm verò varii varias soleant tradere, quarum aliquas tum ex Patribus tum Scholasticis recenset *Meisner. dict. disp.*

disp. 4. quest. 3. nobis impræsentiarum præprimis arridet Domini Præsidis, Patroni atque Præceptoris filialis observantiæ cultu æviternum, prosequendi, definitio, quam tradit Brev. c. 15, §. 4. Prædestinatio, inquit, est actus æternus & merè gratuitus Dei eligentis propter commune meritum & intercessionem Jesu Christi, quosdam homines ex massa corrupta ad æternam gloriam, quos videlicet prævidit non esse petulanter rejecturos gratiam vocationis, justificationis, sanctificationis & perseverantiæ, a sese in tempore ipsis offerendam, ad laudem gratiæ & gloriæ suæ. Alias definitiones qui desiderat, adeat Meisn. d. 1. B. Meitz. Tom. 1. Gies. disp. 14. §. 10. In Exeg. A. C. art. 7. p. 303. Gerh. in LL. de Elect. & Reprob. cap. 14. §. 217. p. 262. aliosque. Utut autem inter Nostrates de Genere prædestinationis non conveniat, quorum aliqui per providentiã, alii per actionem, nonnulli per decretum, eandem definiunt, rectè tamen Meisnerus d. 1. §. 8. asserit, dissensum istum non tam realem quàm verbalem esse. Apud quem etiam conciliationem dissentientium reperire licet.

§. II. Causa prædestinationis efficiens principalis est merè gratuita ac misericors Dei voluntas. Id quod Apostolus confirmat Eph. 11, 1. In Christo electi sumus, inquit, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Rom. 9, 16. 18. 19. 2. Tim. 1, 9. Intelligitur autem hîc voluntas, quam vocant antecedentem, quæ etiam voluntas gratiæ, item misericordiæ dicitur. Solent enim Orthodoxi voluntatem Dei dispescere in antecedentem & consequentem, quod non ita intelligendum, ac si illa in se duplex sit (cum à parte rei una ac simplex sit, utpotè ipsissima Dei essentia) sed quod ob diversitatē objecti à nobis diversimodè consideretur. Quemadmodum etiam triplex scientia visionis, simplicis intelligentiæ, & mediæ Deo tribui solet, non per multiplicationem habituum, sed per extrinsecam denominationem ortam ex diversitate objectorum. Prout enim objecta scientiæ alio atque alio modo se habent, ita & alia atque alia scientiæ divinæ appellatio tribuitur. Ita quoque prout alio atque alio modo objecta voluntatis se habent, ita & voluntas alia atque alia dicitur, manente ipsâ in se planè immutabili, Num. 23, 19. 1. Sam. 15, 29. Job. 33, 14. Prov. 29, 21. Mal. 3, 6. Dicitur autem antecedens & consequens, non quod hæc ex parte ipsius Dei aliquam sui causam agnoscat, vel realiter ab antecedente differat, nec ordine solum

lum. sed etiam tempore illâ posterior sit, (in Deo enim nihil est quod non sit ipse Deus, vel quod temporis ratione alterum consequatur, aut ab alio tanquam à causâ dependeat) sed itidem ex parte *volitorum* tantum à nobis primò sub hâc, deinde sub alia forma conceptorum. Orta autem est hâc distinctio è mirabili justitiæ & misericordiæ divinæ inter se conciliandæ temperamento. Multoties enim in Scripturis deprædicatam invenies Dei tum misericordiam in omnes salvandos pronam; tum justitiam ordini divino petulanter refragantibus aditum ad cœlestem hæreditatem præcludentem: hinc ad illa dicta, quæ de misericordia & justitiâ Dei agunt & inter se pugnare videntur, concilianda, adhibita est illa distinctio. *Antecedens* igitur voluntas terminatur in nudâ mediolorum oblatione & constat respectu simplici, quo illa æqualiter erga omnes se habet, & sic vocatur, quia considerationem obedientiæ vel inobedientiæ hominum præcedit. *Consequens* verò respicit mediolorum oblatorum ab hominibus acceptationem vel rejectionem, & sic appellatur, quia considerationem obedientiæ vel inobedientiæ hominum subsequitur & respectu constat determinato, prout sc. homines considerat ordinem mediolorum à Deo præscriptum amplectentes vel rejicientes. Neque nova est aut heri vel nudius tertius demum à Nostratibus excogitata, sed à Patribus etiam usurpata fuit: Sic enim *Andreas Episcopus Casarea in Cappadocia in Comment. ad Apoc. cap. 19, 14.* scribit: Ἰὸ μὲν προσηγμένον ἴδ' θεῶν θέλημα, ὁ καὶ εὐδοκία λέγεται, καὶ δείπνον αὐτῶ περιπόθητον, ἰὸ πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι ἐστὶ, καὶ εἰς ὀπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, καὶ πιστεῦσαι, καὶ ζῆν αὐτῶς 1. Tim. 2, 4. τὸ δὲ δεύτερον, ἰὸ καταδικάζειν ἰδ' εἰς αὐτοῖς ὀπίπωμα τὴν κόλασιν, hoc est, *antecedens* ἔ' quasi primaria Dei voluntas, quæ ἔ' voluntas placiti appellatur ἔ' cœna quam desiderat vel maxime, est, ut omnes homines salvi fiant ἔ' ad veritatis agnitionem veniant, conversique ad Deum eternum vivant. *Secundaria* autem ἔ' consequens est, velle eos punire; qui supplicii causam sibi ipsis ultro adsument. Celebris etiam est locus *Chrysostomi Hom. 1. in cap. 1. Eph.* dicentis: Πάντα γὰρ εὐδοκία τὸ θέλημα ἐκ προσηγμένων. Ἔστι γὰρ καὶ ἄλλο θέλημα. Ὅσον θέλημα πρῶτον τῶ μὴ ἀπολέσθαι ἡμαρτικότητας: θέλημα δεύτερον γενομένης κακῆς ἀπολέσθαι. Eandem etiam distinctionem agnovit *Damasceus l. 2. Orthod. Fid. cap. 29.* λέγεται τὸ μὲν πρῶτον προσηγμένον θέλημα, καὶ εὐδοκία ἐξ αὐτῶ ὄν. τὸ δὲ δεύτερον ἐπὶ ὄμνον θέλημα, καὶ ὀφχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας. καὶ αὐτῆ

αὐτὴ διττὴ ἢ μὲν οἰκονομικὴ, καὶ παιδωτικὴ πρὸς σωτηρίαν, ἢ δὲ ἀπα-
 γνωσικὴ πρὸς τελείαν κόλασιν. Possent hisce addi quædam ex Schola-
 sticis, *Thoma, Bonaventura* aliisque distinctionis hujus antiquitatem
 roborantia, sed ne simus ultra modum prolixiores, eadem præterire
 allubescit. *Vide B. Mentzerum in Respons. ad defens. 2. part. Conver-*
prut. Crocii. p. 108. seqq. de hac distinctione omnium optimè differen-

§. 12. Vocatur autem hæc Dei voluntas *Primò: merè gratuita*, quæ
 ipso ab electione excluduntur omnia opera hominis etiam intuitus
 eorum, imò omne id, quod nomine operis vel actionis sive per gra-
 tiam Dei, sive per naturam factæ, venit, planè sicuti ab actu justifica-
 tionis omnia opera sequestrantur; etiam fides ipsa huc non pertinet,
 si spectatur tanquam coaditio magis ve! minus digna, sive per se, sive
 ex æstimo per voluntatem Dei fidei superaddito; quod nihil horum
 decretum electionis ingrediatur tanquam causa movens aut impel-
 lens Deum ad tale decretum faciendum, sed id puræ putæ gratiæ Dei
 sit adscribendum, ostendente Domino *Præsides, Brev. cap. 15. §. 6. ex*
Rom. 9. 11, 30. seqq. & cap. 11, 7. Secundo: Misericors ad innuendam mi-
 seriam humanam. Misericordia enim Dei supponit prævisionem mi-
 serix humanæ, in quam per peccatum totum genus humanum prola-
 psum erat; siquidem hæc illius objectum est. Et hanc nihilque aliud
 in homine Deus invenit, quod ipsum ad commiserationem fleeteret:
 unde etiam à nonnullis causa electionis *παρακατασκευαστικὴ irritans* seu
occasionem præbens appellatur, cujus respectu Deus inductus fuit, ut
 de remedio homines curandi & ex hac miseriâ eripiendi cogitaret.

§. 13. Et hæc Dei misericordia ac benevola voluntas *universalis*
 est, *seria ac salutis omnium mortalium* nullo excepto efficaciter *cupi-*
da. Universalitatem probat (I.) Apostolus *Rom. 11, 32, Conclusit Deus om-*
nes sub incredulitatem, ut omnium misereatur. Ubi ab unâ parte
 totum genus humanum sub ἀπιστίας reatu constrictum, non aliter
 ac fera retibus implicata representatur; ab alterâ parte affectus di-
 vini amplitudo ac latitudo erga ream ac captivam hanc gentem de-
 prædicatur, quod sit universalis, nullum reorum excludens, omnes il-
 los includens, quos Deus sub incredulitatem conclusit *Rom. III, 19, 23,*
 tam latè patens, quàm latè patet incredulitas, imò latiùs, quia *gratia*
πᾶσι ἐρεσσεύσεται Rom. 5, 20. Frivola igitur est glossa *Piscatoris*, qui
 C secu-

secutus *Bezam & Pareum* ad h. 1. τὰς πάντας de omnibus electis ex Ju-
 daeis & Gentibus intellectum vult; hanc enim ratione sequeretur Deum
 electos tantum sub peccatum conclusisse, non verò reprobos; quod
 manifestò falsum est, contrarium ostendit Apostolus Rom. 5. 12. omnes
 in univèrsum mortales peccati reos esse pronuncians. Nos sic argu-
 mentamur: Quo sensu vocabulum *omnis* in priori membro proposi-
 tionis sumitur, eodem etiam sumendum in posteriori: Ratio, quia
 aliàs oppositio inter hominem peccantem & Deum misericordem ab
 Apostolo h. l. instituta expiraret: Sed in priori propositionis parte
 particula *omnis* sumitur, non *distributive*, sed *universaliter* ita ut o-
 mnes & singulos Aevigenas includat, omnes enim & singulos Deus
 peccati arguit, docente Apostolo Galat. 3. 10. Et *omnes declinaverunt
 simul inutiles facti sunt*, Rom. 3. 12. Collato cum Psal. 14. 2. & 3. Ergò
 etià in posteriori parte universaliter sumenda est & consequenter be-
 nevolus Dei affectus, quo hominibus lapsis consultum vult ad totum
 humanum genus porrigitur. Huic accedit (II) ex 1. Tim. 2. 4. *DEUS
 vult omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire*. Ubi per
 part. *omnes* non tantum *genera singulorum*, hoc est, quosvis ex omni-
 bus nationibus cujuscunque sint generis, sexus, ætatis, prout Calvinis-
 tæ volunt; sed etiam *singula generum*, hoc est, omnes & singulos
 mortales sive electi sive reprobi sint, adhuc salvabiles tamen, intelli-
 gi, patet ex distinctione distinctorum ordinum sive generum inter
 homines ab omnibus: vers. i. enim Apostolus præcipit pro *omnibus ho-
 minibus in genere orationes, obsecrationes, gratiarum actiones &c.* fie-
 ri, v. 2. facit adjectionem particularium, & dicit etiam pro *Regibus &
 iis, qui sunt in eminentia constituti* esse orandum. Jam verò adjectionem
 particularium, qui præsumi poterant non venire in intercessionem
 fidelium, tanquàm fidelium persecutores; universalis præcedat oportet,
 alioquin sensus dicti hujus Apostolici planè ineptus hic prodiret: *Vo-
 lo intercessionem fieri pro quibusdam hominibus, etiam pro Regibus &
 Magistratibus*, quod planè *ἑτερολογον* est: Reges enim sunt quidam
 homines, Ergò non possunt opponi quibusdam. Eandem voluntatis
 divinæ *universalitatem* confirmat (III) *μακροθυμία* divina à D. Petro
 2. Epist. 3. 9. laudata, dum inquit: *Non tardat Dominus promissionem,
 sicut quidam existimant: sed patienter agit propter nos, nolens aliquos
 perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Hic *μακροθυμία* divina
 etiam

etiam ad reprobos terminatur v. g. *εμπραετας*; juxta proprias concupiscentias ambulantes vers. 4. Causa tardationis & longanimitatis gemina insinuatur, una voluntas (liceat sic loqui) exitii hominum, ne ullius quidem; altera voluntas poenitentiae universalis. Intendit enim Deus per *μακροθυμίας* suam omnes homines, quos inter *εμπραετας*, ad poenitentiam adducere, ut conversi salvi fiant Rom. 2, 4. Nugae sunt, quod *Piscator* scribit: Petrum loqui de solis electis. Quas repetit *Spanhemius de grat. univ. Exerc. sect. 5. p. 141. seqq.* dum ait: Petrum haudquaquam loqui de omnibus & singulis hominum individuis, sed de iis, quos vocat *ἀγαπητὸς* vers. 1. & 8. quibus se Epistolam scribere proficitur vers. 1. quibus tribuit *διάνοιαν εὐκρινῆ*, sinceram mentem; quos dicit se per comonefactionem excitare, ut sint memores verborum quae praedicta sunt a sanctis Prophetis & praecepti Apostolorum. An verò omnes & singuli mortalium hoc censu comprehenduntur? An omnes & singuli habent vel mentem sinceram vel per comonefactionem tantum suat excitandi, ut sint memores dictorum Prophetarum & Apostolicorum? quid clarius ergò, quam Petrum ad illos scribere, quibus doctrina Prophetica & Apostolica jam innotuerat? quales sane non sunt omnes & singuli mortales. Quasi verò verbum Dei non ad omnes omnium temporum & locorum homines pertineat, etsi compellatio ad praesentes tantum & coevos dirigatur. Et si vera sunt, quae scribit *Spanhemius*, Apostolum solos eos intelligere, ad quos tum scribebat hanc ut & priorem Epistolam nempe *καρπευθῆμας Νασσωρεῖς* 1. Epist. 1, 1. sequitur, nihil commodi inde ad nos hodiè Germanos redundare. Et si illos solum intellectos vult, quibus doctrina Prophetica & Apostolica innotuerat, ad innumeros & mille millenos electos hæc non pertinebunt, quia innumeri electi sunt, quibus nec tum nec etiamnum Prophetica & Apostolica innotuit doctrina. Et esto, ut & hoc *Spanhemio* demus, Apostolum solos eos intelligere, ad quos scribebat, num illi omnes electi? Universalitas benevolentiae divinae (IV) patet ex *κοσμοφιλία* Dei catholica indigitata Joh. 3, 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c. In quo aureo totius Evangelii compendio describitur benevolus Dei affectus independens ac impromeritus, qui causa fuit inducens Deum ad faciendum decretum de mittendo Redemptore generi humano in miserissimam servitutem propter peccatum prolapsio, extendens se ad

omnes & singulos mortales, nomine *mundi* insinuos. Ad solatiffum hoc dictum enervandum nihil solidi reponunt Adversarii, præter veterem istum *coccyismum mundum* hic notare nobiliorem mundi partem, i.e. electos. Ad quod ut respondeatur sciendum est, vocem *mundi* variè quidem in Scripturis sumi, aliquando notat machinam hujus universi, constantem ex cælo & terra, aère & aqua, ut *Joh. 1, 10. cap. 17, 11. 12. 13. 15. 18. Matth. 4, 8* & alibi; quo de sensu *Augustinus lib. de Gen. ad lit. cap. 3.* loquitur: *ipsa digestio, inquit, & ordinatio singularum quarumque rerum formatarum & distinctarum mundus vocatur.* Aliquando sumitur pro hominibus in mundo, idque iterum bifariam, (1) ut solum pars aliqua hominum, illa scilicet quæ mundanis rebus adhæret, hoc est, impii homines, intelligatur; ut *Joh. 1, 10. cap. 12, 31. c. 14, 30, 31. cap. 16, 11, 20. c. 17, 6. 9. 14. 16. 25. 1. Joh. 5, 19.* & alibi passim. (2) ut tota hominum multitudo, tam pios quam impios comprehendens denotetur, ut *Joh. 1, 29. c. 4, 42. c. 12. 47. 3. Cor. 5, 19. 1. Joh. 2, 2. cap. 4, 14.* Et in hac ultima significatione etiam in nostro textu sumitur. Id quod patet tum ex vers. 18. ubi mundus hic distinguitur in credentes & incredulos, tum ex eo, quod aliàs sequeretur electos posse perire; esset enim hujus dicti sensus talis: *Sic Deus dilexit electos, ut quotquot ex eis credunt, non pereant,* num igitur periculum ut aliqui electi pereant? At ubi mundus solos electos denotet, nullum, nullum, nullum posse ex toto sacro codice proferrî testimonium, rotundè proficitur *B. Mentzerus in Respons. ad Defen. 2. part. Croc. p. 103. Φλυαρίας Spanhemii adversus h. l. Exere. de grat. univ. sect. 17. p. 741. seqq. adductas, ut & loca ab ipso ac Massonio part. 3. Anatom. p. 222. allegata quibus obtinere fatagunt mundum in Scripturis nonnunquam notare solos electos, discussit Dn. D. Danhauserus Hódor. Spir. Calv. pag. 1403. seqq.*

§. 14. Porro *seriam* esse hanc Dei voluntatem & omnium hominum salutis cupidam, testatur juramentum Dei *serium* apud Ezechielem c. 18, 23. *An inquit Dominus Jehova, deleetando deleetor morte improbi: annon in revertendo à viis suis, id est, ut revertatur & vivet: & v. 32. non deleetor morte morientis, dixit Dominus Jehova: avertite itaque vos & vivite;* Et adhuc significantius e. 33, 11. *Ne vivam ego, dixit Dominus Jehova, si volo mortem impii, sed in avertendo se impium (h. e. ut se impius avertat) à via sua, & vivet.) Convertimini,*

convertimini à viciis vestris malis, & cur moriemini domus Israël. In quo ultimo loco notandum, valdè emphaticè poni **וְאִם** si volo. Nimirum sicut apud Græcos, Italos & Gallos particula si posita post verba jurandi habetur pro categorica sive affirmet sive neget, v. g. Ebr. 4. 3. juravi in ira mea ei εἰσελεύσονται si introibunt in requiem meam, i. e. **אִם** εἰσελεύσονται; ita & Ebraei usurpant particulam **וְאִם** post verba jurandi pro affirmatione vel negatione categorica, ut: vivam ego, si volo mortem peccatoris, i. e. categoricè nolo; vivam ego, si non volo conversionem & vitam peccatoris, i. e. omninò volo conversionem & vitam. Ex his locis pro adstruenda nostra thesi tale nectimus argumentum: Quicumque nullius peccatoris mortem antecedenter vult, sed ut omnis convertatur & vivat, ille omnes homines vult salvos: Atqui Deus nullius peccatoris mortem antecedenter vult, sed ut convertatur & vivat. E. Deus omnes homines vult salvos. Major manifesta est. Minor ex dictis constat. Desudant Calvinisequæ, ut clarissima hæc dicta Pervertere & in heterodoxum sensum trahere possint. Polanus ad h. l. recurrit ad distinctionem **וְאִם** velle, quod ipsi est vel decernere, vel delectari; vult igitur Deus, mortem impij decreto, non delectatione. Cum quo facit Panstratiasta Chamier Tom. 3. l. 7. c. 6. n. 10. nos, inquit, acquiescimus distinctioni voluntatis in εὐδοκίαν & εὐαρεσίαν, & paucis interjectis; Nam & Ezechiel usus est verbo **וְאִם** quo significatur non simpliciter velle, sed acquiescere rei alicui, delectari, desiderare. Et cap. 8. n. 11. hæc addit: quis autem neget, posse Deum velle; & tamen non delectari morte peccatoris? est enim certum, si nullo modo vellet, nullo modo futuram. Est autem: imò infligitur ab ipso Deo justissimo iudice: vult ergo, sed non delectatur. R. i. falsum est Deum voluntate antecedente decrevisse mortem impij adhuc convertibilis: nam de tali impio hic sermo est, non de desperatè impio, qui jam extra fines Ecclesiæ eiectus & post clausam gratiæ januam non amplius converti potest. 2. Falsum est in Deo dari differentiam **וְאִם** velle, quod aliud sit decreti, aliud delectationis, quam in homine detur talis distinctio, v. g. æger potionem amaram à Medico porrectam vult decreto, non verò vult delectatione; In Deum autem talis non cadit differentia, sed omne id, quo delectatur, etiam vult, & sicut peccatum nec delectatione vult nec decreto Psal. 5. 5. Ita & mortem impij nec delectatione nec decreto antecedaneo. 3.

C 3,

Quid?

Quid? quod Chamier sibi met ipsi repugnet, cum distingvit voluntatem in *εὐδοκίαν* & *εὐαρεσίαν*. Jam verò voluntas, quæ *εὐαρεσία* dicitur, nihil aliud est quàm *affectus nuda complacentie* seu *delectatio*. Cum igitur voluntas ad *εὐδοκίαν* & *εὐαρεσίαν* se habeat instar termini communis ad sua inferiora, sequitur eum non posse non velle, qui aliquâ re delectatur, & per consequens falsum est, quod Chamier scribit: *quis autem neget posse Deum velle, & tamen non delectari?* Item: *vult ergo, sed non delectatur.* 4. Falsitas hujus distinctionis apparet ex ipsis Adversariorum hypothesebus: statuunt enim illi manifestationem gloriæ divinæ esse causam per se moventem Deum ad faciendum decretum reprobationis, quod si hoc verum, utique DEUS etiã tam morte impii tanquam medio gloriæ suæ manifestandæ inserviente delectabitur, quàm ipso illo fine. Vnde *Piscator* apertè fatetur ad cap. 18. *Ezech. Deus delectatur omnibus operibus suis, ac proinde etiam morte, quâ afficit improbum impœnitentem.* Denique 5. quid est oraculi hujus evangelicam dulcedinem elevare, si hoc non est? per distinctionem hanc negatur quidem delectatio divina super morte impii, interea tamen statuitur decretum *βυλητικόν*. Quidnam quæso solatii inde reo cuiquam erit, si iudex ita ad eum: non delector quidem morte tuâ, ex rigore tamen juris mori te volo. Vid. quæ *Remonstrantes* in hanc rem *Act. p. 241.* ubi hæc distinctio, *inanis fumus* audit. Solet hîc etiam à Calvinianis adhiberi satis trita apud eos distinctio ex Scholasticis hausta, sed malè applicata, quâ voluntatem Dei dicunt aliam esse *arcani beneplaciti*, aliam *revelati signi*, hac positâ dicunt Deum quidem velle conversionem & vitam impii voluntate *revelati signi*, non verò *arcani beneplaciti*. Dem, inquit Polanus l. c. *hîc non loquitur de voluntate arcana & beneplaciti, neq; de omnibus improbis: voluntate enim arcana & beneplaciti vult omnium illorum qui pereunt i. e. reproborum mortem, sed loquitur de voluntate signi revelata in evangelio, quo omnibus offert misericordiam & salutem ut liberentur à morte & vivant.* Verùm hæc distinctio facit ex Deo, qui veracissimus imò veritas ipsa, mendacem, simulatorem & hypocritam turpissimum, aliud ore proferentem, aliud corde gerentem, mel in ore, fel in corde habentem, quod nefas est vel cogitare de divina Majestate, Quid de hac distinctione sentiendum sit vide apud *Meisn. d. l. disp. 2. Grayer. Absurd. absurd. p. 333, seqq.* &

425

& D. Danhauer. l. c. p. 1219. seqq. Piscator ad Ezech. 33. dicit: Sermonem hic esse de impio qui convertitur, & talis impii mortem Deum non velle. Expositionem hanc suxit è mammillis Calvinii, qui lib. 3. inst. c. 24. hæc habet: *Hæc summa est, non esse dubitandum, quin Deus paratus sit ignoscere simul ac conversus fuerit peccator, E. mortem non vult, quatenus vult pœnitentiam.* Sed violenta est hæc explicatio & invertit textum; non enim dicitur: *Deus non vult mortem impii, qui convertitur*, sed: *Deus non vult mortem impii, ut convertatur.* Præterea ex loco parallelo c. 18. vanitas hujus expositionis ad oculum patet, ubi Propheta ita: *hoc dicit Dominus: nolo mortem morientis, jam verò contradictoria sunt & se invicem tollunt impius conversus & moriens morte.* sc. secunda. Nam si moriens est, utiq; non est conversus, & contra, si est conversus, non est moriens morte secunda. Ab hoc præsidio dejectus Piscator ad aliud confugit & dicit per mortem hic non intelligi mortem æternam, sed tantummodò corporalem violentam, qualis infligitur per gladium, cujus in præcedentibus fit mentio. Cui sententiæ etiam subscribit Spanhemius gratiæ universalis hostis ἀσπενδος. Ita autem ille Exerc. de grat. univ. sect. 5. p. 133. *Mirum Adversarios non animadvertisse, hunc locum prorsus ἀπεροδιόνυσον esse, & peccari παρρησια μερά.* Causa enim cur Deus ita loquatur, patet & ex initio capitis & ex v. 10. immediate præcedente, agi nimirum de pœnis externis, non æternis, de vitâ in terra canaan pacatè exigenda, non verò de vita æterna. Loquitur enim Deus de adductione gladii contra terram aliquam v. 2. & v. 10. Et p. 134. *Non de morte vel vita æterna ibi sermo, sed de judiciis temporalibus in gentem illam effusis. De illa enim morte sermo, de quâ conquerebantur judæi isti protervi. At non conquerebantur illi, quod essent morti æternæ obnoxii. imò se justos & majores suos duntaxat peccatores censebant, sed de eo duntaxat, quod pessimè haberentur ab hostibus suis & non equa esset via Domini. Mors itaque hic apud Prophetam, est mors violenta ut patet ex v. 13. omnino afficietur morte, cadis ipsius causa in ipso erit. Vita ergo illi opposita est immunitas & preservatio ab ejusmodi cade & calamitatibus ei affinis.* Sic mors v. 27. cap. 33. est gladio cadere, bestiis exponi, in munitionibus & speluncis peste mori. Verùm Resp. negando per vitam, ut & mortem hic intelligi temporalem, sed dicimus de æterna

æterna

æterna vitâ sermonem esse; Ratio est, quia temporalem vitam im-
 pius qui non convertitur cum pio communem habet, imò sapi-
 eundem vivendo superat. E. etiam mors æterna intelligenda est,
 quæ vitæ opponitur. Quid? quod non semper impius violentâ ex
 hac vitâ migret morte, à quâ nec pii omninò immunes sunt. Deinde
 de illa morte, hîc loquitur Propheta, quæ per pœnitentiam declinabilis
 est, jam verò mors naturalis nunquam per pœnitentiam declinatur,
 violenta autem non semper per pœnitentiam evitatur. Nil juvat
Spanhemium quod v. 6. mentio fiat sanguinis: nam de quovis exitio
 etiam æterno commodè exponi potest vox sanguis, vid. Psal. 51. 16.
Matth. 27, 25. Act. 18, 4. c. 20, 26. Apoc. 14, 20. Sed esto, loqui hîc Deum
 de morte temporali, nunquid non licebit inde à minori ad majus
 argumentando progredi? si Deus non vult mortem impii tempora-
 lem tanquam leve & momentaneum quid, multò minus volet mor-
 tem æternam omnium dirarum dirissimam. Quam consequentiam
 neque *Spanhemius* ipse audet abnuere, l. c. p. 135. ajens, *nec intercedi-*
mus etiam, quin argumentum indirectè inde duci possit per gradationem;
si Deus ne temporali quidem morte velit affectos peccatores se conver-
tentes, minus ergò æternâ. Magis verò absurdus est *Spanhemius* l. c.
 p. 127. Hoc solatium oraculum ad solos Israelitas restringens;
 dum inquit: *Ad quos mittitur Propheta ista dicturus? Dic eis, in-*
quit Deus domui nimirum Israelis. Quid hoc pro proposito universali
miserendi omnium & singulorum hominum? An quod domui Israelis
propositum fuit, omnibus & singulis mortalibus propositum fuit? An
Deus ad omnes & singulos Prophetam suum vel alios hac denuntiatio-
ne instructus misit, & omnes omninò sine exceptione ad conversionem
& vitam invitavit & ostendit se velle ut omnes & singuli vivant? Et
 p. 128. *quæ itaque sequela est, Deus domum Israelis ad resipiscentiam*
& vitam vocat. Ergò omnes & singulos mortales ita vocavit? Imò
retorqueamus hoc ipsum & ἵὸ Πάσας: Deus domum Israelis voca-
vit ad resipiscentiam & vitam, innumeros non vocavit, nec sic fecit
ulli genti: Ergò propositum universale non habuit omnium & sin-
gulorum miserendi. Quæ collectio si valet, nihil impedit quo mi-
nus quis semet & omnes reliquos homines à nexu Decalogi emancipet
sic colligens: Illos tantùm Dominus alloqvutus est in monte Sinai,
quos eduxerat ex Ægypto nempe domum Israelis, Ergò neminem
 alium

alium mortalium ac per consequens nec me, qui non sum ex stirpe
Israëlis, ac proinde Decalogi lex me non obligat. Quemadmodum,
igitur ibi in promulgatione Decalogi specialis ratio ligabat Domum
Israëlis, generalis verò omnes homines: Ita & hic apud Prophetam,
specialis causa misericordiæ in Israelitas intenditur, universalis autem
subinnuitur. Neque etiam si vel maximè demus *Spanhemio* ad solos
Israelitas hoc Evangelium pertinere, inde evincet particularitatem
misericordiæ divinæ ad solos electos directæ, siquidem & inter Israe-
litas multi erant reprobi. Ergò adhuc se extendit misericordia in e-
lectos ac reprobos indiscriminatim & per consequens universalis est,
licet non omnium hominum, tamen omnium Israelitarum. Satis erit
si obtinuerimus vel unico reprobo misericordiam divinam esse pro-
pitiam, quid vetat, quo minùs omnium aliorum etiam par sit ratio?

§. 15. *Serietatem pariter ac universalitatem voluntatis divinæ er-
ga omnes homines manifestò etiam indicant, tum blanda Christi
invitatio Matth. II, 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onera-
ti estis, & ego reficiam vos: ad omnes eos directæ, qui divinæ o-
pis indigent & quòs præceptum mansuetudinis & humilitatis à Chri-
sto discendæ obligat v. 29. Tum divina ad salutem positio I. Thess.
5, 9. Non posuit nos (scil. homines universim omnes, qui debent esse
filii lucis v. 5. quibus ex mandato ac officio incumbit, ut induti sint
lorica fidei & charitatis v. 8. pro quibus Christus mortuus est v. 10.)
Deus ad iram, sed ad salutis acquisitionem. Ubi cum *Beza* ad I. Pet.
2. temerè ita colligit, *Spanhemius* l. c. p. 155. Si nemo ad iram positus
est, imò si omnes positi sunt ad obtinendam salutem & Christus pro omni-
bus mortuus est nemine, excepto, qui sit quod Apostolus particulare fa-
cit, quod est universale? Annon Apostolus ibi disertè se & fideles alios
secernit à positis ad iram? Quod idem est ac si colligas ex I. Pet. 1, 23.
renati estis non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, aliquos ex
semine corruptibili renatos esse, ex I. Thess. 4, v. 7. non vocavit nos
Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem. E. aliqui à Deo voca-
ti sunt ad impuritatem. Item, Deus non condidit stellas ad tene-
bras mundo suffundendas, sed ad lucem E. aliquas ad tenebras con-
didit. Unius enim negatio, non statim est contrarii positio. Tum
sanctissima Christi adversus nolentem Hierosolymã protestatio Matth.
23, 37. Hierusalem, Hierusalem quoties volui congregare filios tuos,
quem-*

D

quem-

quemadmodum Gallina congregat pullos suos & noluit. Blasphemiâ non caret, quod Piscator ad h. l. obs. 24. distingvit voluntatem Christi humanam à divina, Christum Judæorum salutem voluisse voluntate humanâ; non verò divinâ. Hinc enim sequetur (1) voluntatem humanam in Christo non tantum esse diversam à divina sed ei etiam contradictoriè adversam, contra clarissima testimonia Joh. 7, 16. 17. 28. c. 12, 49. 50. c. 14, 10 (2) voluntatem humanam esse peccaminosam, scienter divinæ obstrepentem. Christo enim æterna Dei decreta fuerunt cognita Joh. 1, 8. (3) voluntatem humanam in homine flagrantiorē esse, quàm divinam, cum tamen divina sit ipsissima charitas 1. Joh. 4, 8. sequetur (4) Judæos voluntati Christi refragantes non periisse, cum nihil contra divinam voluntatem, verum potius pro illa egerint. Quid? quod congregatio Judæorum sive Hierosolymitanorum prædicatum sit officiale ad utramque naturam pertinens. Præterea loquitur Christus de se tanquam mittente Prophetas vid. Luc. 11, 49. jam verò missio Prophetarum Christo secundum Deitatem competit. Ergò divina voluntas hic non est excludenda. *Molinaus in suo judicio ad Syn. Dord. misso Act. p. 409. & Gomarus in vindiciis hujus loci;* per Hierosolymam intelligunt proceres, primores Sacerdotum, principes & Doctores, Scribas & Phariseos, qui restiterunt Christo pullos h. e. subditos & discipulos congregare volenti, atque audacter pronuntiant, *ipsis etiam invitatis, qui congregari noluerunt, tamen illos fuisse actu congregatos, quos per internam Spiritus regenerantis efficaciam Christus congregare voluerit.* Verum præterquam quod nusquam occurrat in Sacro codice, ubi Hierosolyma solos primores & Scribas notet, tamen non liquet nullum Scribarum aut Procerum fuisse in numero electorum, aut solos illos fuisse Prophetidas & ob id puniendos. Quid? quod hanc explicationem non ferat gallinæ relatio ad pullos. Sequeretur enim inde duas hinc repræsentari gallinas, quarum unam Christum, alteri, nimirum Proceribus, invitæ pullos suos eripere & alis suis supponere voluisse, quod falsum est. Tandem *universalitatem ac serietatem* voluntatis divinæ testantur Lachrymæ Christi amorifluxæ, Joh. 11. 35. quas *legatos doloris* nuncupat *Cyprianus*, profusæ ob prævisum Hierosolymitanorum civium, quorum maxima pars reproba, tum temporale, tum æternum exitium Luc. 19, 41. Atque sic hætenus satis, ut opinor,

à no-

417

à nobis ex Saeris literis evictum fuit, Deum voluntate antecedente omnium mortalium salutem serio velle, neque ullum ab eadem exclusum. Quam etiam sententiam tota orthodoxa Antiquitas unanimi consensu tuetur, è qua, si temporis ratio id permetteret, innumera possent adduci testimonia. Verùm ne simus ultra modum prolixiores B. L. remittimus ad *Joh. Ger. Voss, lib. 7. Hist. Pelag. part. 1. §. 2. ubi à p. 633. ad 653. plura in hanc rem ex Patribus citata inveniet.*

§. 16. Calviniani quid de causa Prædestinationis efficiente sentiant, in propatulo est. Nil in Schola Calvinistica audis nisi *absolutum decretum in Synodo Dordracenâ* (teste Episcopo Tom. 2. opp. pag. 388.) *auëtoratum, in Synodo Aleziana Gallica jurisjurandi religione firmatum & conjuratum.* Ipsis cor Ecclesiæ (Reformatæ sive Calvinisticæ) & Palladium est doctrina de absolutissima Dei gratia, juxta *Genevenses Act. Syn. Dord. Hanov. Anno 1629. edit. part. 1. p. 212.* Missis verò jam *Calvini, Bezae,* aliorumque superioris seculi sectæ Calvinisticæ primipilorum placitis, quædam tantùm ex *Actis Synodalibus Dordrac.* excerpere visum est, ex quibus patefecet, qualem ipsi causam Prædestinationis faciant efficientem. Ita autem *Hassiaci Act. part. 1. pag. 535.* *Ecclesia Reformata docent: causam, cur Deus, quibusdam gratiosè electis, reliquos præterierit, non esse eorum impœnitentiam & incredulitatem, sed solam Dei & doxiav.* Succenturiatas hisce operas navant *Helvetii Act. pag. 538.* scribentes: *Præter eüdoxiav sive liberrimam & in intima Dei erga nos dilectione fundatam voluntatem illam, causam electionis aliam agnoscimus nullam, sed hanc humillimè veneramur, ceu unicam, supremam, causas alias omnes antegredientem, ut nemo dicere possit, cur sic agat Deus, & non aliter: cur placuerit huic gratis donare fidem, alium in cecitate naturâ & sponte attracta relinquere.* Et pag. 141. *Cur hunc præ illo Deus reprobaverit, extra Dei & doxiav illam, nullam causam admittimus, quem enim vult indurat.* Et hæc est sententia omnium Synodicorum tam exterorum quàm provincialium. Hisce addi possunt *Crocii defens. 2. part. Conv. prut. p. 269. & passim dicens: causam cur pauci & non omnes homines sint electi, non esse ullam aliam, quàm solam Dei voluntatem sive meram & doxiav.* Et *Maccovius disp. de præd. §. 3. inquit: Causa impulsiva prædestinationis nulla est extra & præter beneplacitum Dei. Decreti enim causa nulla est & nec dari potest efficiens qualiscunque ea sit, præter*

Deum. Ratio est, quia decretum Dei Deus est, nec differt à Deo, nisi re-
lacione quadam ad extra. Plura testimonia vide apud Remonstrantes
in Actis suis Synod. Herderovici edit. anno 1620. part. 2. p. 28. Summa
igitur sententiæ Calvinianorum est, causam Prædestinationis esse vo-
luntatem absolutissimam (non hinc mea, sed Perkinsi verba audis in ex-
plic. Symb.) quæ nihil habeat vel extra vel juxta vel supra se, quod pos-
sit esse causa impulsiva ad movendam vel flectendam istam. Atque hinc
etiam negant universalitatem voluntatis divinæ omnium miserentis:
Beza vox est part. 2. respons. ad Colloq. citante nostro Gerhard. Tom.
2. LL. pag. 145. Hæc dico, nunquam fuisse tempus, vel esse vel futurum,
quo voluerit, velit aut voliturus sit Deus singulorum misereri. Præpri-
mis Spanhemius post innumeros alios universali voluntati Dei valde
infestus est, quando disp. de grat. univers. Anno 1644. Lugd. Batav.
habitâ th. 5. sic scribit: Sententiæ nostræ summa est, nec voluntatem o-
mnium & singulorum hominum miserendi ad salutem Deo adscribi pos-
se: nec voluntatem omnes & singulos per Christum redimendi: nec vo-
luntatem omnes & singulos ad salutem per Christum vocandi: adeoq;
gratiam universalem nec statui debere, nec defendi posse. Et Epimetro
huic disp. subnexo II, inquit: Dogma de gratia universali repugnat
tüm œconomie, tüm experientie omnium temporum: Et Epimet. VI,
Dogma de universalitate gratiæ non Scripturæ tantum, sed & Synodi
Dordracenæ canonibus adversatur. Præcipuum autem Calvinifæque
heterodoxias suæ robur positum volunt in cap. 9. Ep. ad Rom. quo in
loco ut & Eph. 1, doctrinam de prædestinatione ex professo tractari,
Hassiaci Act. p. 528. sibi persuadent. Idem vult Molinæus Act. p. 396.
Tota illa, inquit, dissertatio Pauli, quæ est à versu 6. cap. 9. ad Romanos
usque ad versum 29. agit de electione & reprobatione singulorum, non
verò (ut volunt Arminiani) de electione tantum, aut reprobatione Qua-
lium i. e. credentium aut non credentium. Id evincunt exempla singu-
lorum Isaaci & Ismaelis, Jacobi & Esavi. Tum illa verba, miserebor
cujus misertus fuero, apertè agunt de certis quibusdam personis, non
verò de qualibus: alioqui Paulus dixisset, miserebor qualium misertus
fuero, non verò cuius, aut quorum. Ad hæc jam nostra subnectenda,
esset responsio, si per chartæ angustiam liceret: cum verò non librū,
sed disputationem meditemur, atque sic omnia Laconicè pertractan-
da sint, satis officio nostro functos arbitramur, si lectorem ad scripta
Nostra

416

Noftratiū tam Polemica, quàm exegetica remiferimus, ubi hanc con-
troverfiam ad unguem enodatam deprehendet. Præ reliquis autem
analyfin & explicationem capituli 9. Rom. videre licet apud B. Hun-
nium Seniore in Comm. part. 2. hujus cap. B. Balduinum in Comm.
adh. cap. p. 616. feqq. edit. in 40. D. Winckelm. Tom. 1. Gielfenf. difp.
12. p. 484. D. Mentzer. Tom. 1. Gielfen. ap. 720. ad fin. B. Gerhard. Tom.
2. LL. L. de Elect. & Reprob. §. 81. feqq. p. 147. feqq. D. Feuerb. Syntag.
1. p. 61. th. 37. p. 77. 106. feqq. D. Daubauer. in analyfi hujus capituli Phan-
tafmatu phantafmatu annexa Hodom. Spir. Calv. ap. 473. ad 615.

§. 17. Causam prædeterminationis meritoriam ac impulſivam haud
obſcurè indicant verba in definitione poſita: Propter commune
meritum & interceſſionem Ieſu Chriſti. Quibus innuitur Deum nullâ
aliâ re motum fuiſſe ad eligendum homines, quàm ſolo ac unico
merito Chriſti. Quæ adfertio fundata eſt in illo Apoſtoli Eph. 1, 4.
Elegit nos in Chriſto ante conſtitutionem mundi: In quo tanquam
dilecto gratos nos Deus reddidit v. 6. Particulam ἐν reſpondere E-
braico ך & per uſitatum Ebraiſmum, ut alibi ſæpiùs, ita & h. l. no-
tare causam meritoriam ac latinè reddi propter, obſervavit B. Meisn.
Anthrop. Dec. 2. diſp. 4. §. 22. n. 1. Quomodo itidem Syncatego-
rema ἐν & Ebraeorum ך varios ſignificatus admittat, ita ut modò
notet causam efficientem, & reddatur latinè A, ut, Luc. 4, 1. jam ob-
jectum & idem ſit quod De, ut Rom. 11. 2. Aliquando causam orga-
nicam indicet, ut Matth. 3, 11. Luc. 14, 34. Mox etiam ſignificet
ac per ut Rom. 5, 9. Col. 2. 18. Jam quoque character ſit cauſe me-
ritoria & verti à Latinis propter ut Gen. 29, 1. Matth. 11. 6. atque
alibi, egregiè oſtendit Philologus pariter ac Theologus dum in vi-
vis erat eximius vñv ἐν ἀγίοις D. Glaſſius lib. 3. Phil. ſacr. tract. 6.
can. 6. Ad quam ultimam ſignificationem etiam refert præſentem
locum Eph. 1, ita, ut eligi in Chriſto, tantundem valeat ac eligi propter
Chriſtum. Sic v. 5. expreſſè dicitur, quod Deus nos prædeſtinaverit
ἐν Χριστῷ διὰ τοῦ Ιηſου Χριſτου. Adde comparationem ab Apo-
ſtolo v. 3. & 4. inſtitutam, vi cujus ita colligimus: ſicuti in Chri-
ſto benedicimur, ita & in eodem electi ſumus; Atqui in Chriſto
tanquam omnis benedictionis cauſa benedicimur, ſive propter Chri-
ſtum, vi dictorum Gal. 3, 8. Gen. 12. 3. Pari modo colligere licet ex
verſ. 7. Sicut in Chriſto habemus redemptionem & remiſſionem

D 3

pecca-

peccatorum, ita & electionem: Atqui illam habemus in Christo *an-*
decedenter, motivè causaliter. E. & hanc. Huc facit etiam locus 2.
Tim. 1. 9. Ubi ex datione gratiæ in Christo antefeculari colligitur,
Apostolum h. l. negotium electionis æternæ insinuare velle.

§. 18. Verùm enim verò, licet hæc omnia luce meridiana clari-
ora sint, tamen Calviniani omnem movent lapidem, quo orthodoxam
de *causa electionis meritoria* sententiam eluere possint. Hinc exci-
pientem videas *Piscatorem ad Eph. 1.* cui *ἵο eligi in Christo*, nihil
aliud est, *quàm eligi ad hoc, ut propter Christum sanctificemur, atq;*
ita ad vitam æternam perducamur. Ast interpretationem hanc fal-
sam esse, quis non videt? committeretur enim stante hac ab Apo-
stolo turpis *ἰαυτολογία* & paraphrasis hujus dicti talis prodiret:
elegit nos ad hoc ut propter Christum sanctificemur, ut essemus sancti,
quod prorsus ineptum esset. *Maccovius Colleg. de prædest. diss. 10.*
p. 28. trajectionem hinc comminiscitur, contendens verba ista *ἐν αὐτῷ*
referri debere ad ἵο εἶναι ἡμᾶς ἀγίους καὶ ἀμώμους non verò ad
verbum *ἐξελέξατο*, nullum enim aliud verbum precedere, quod re-
gat infinitivum. Sed præterquam, quod trajectionem hanc intem-
pestivam esse, ipse *Amesius in Coron. ad Collat. Hag. art. 1. c. 3.* a-
gnoscat (ut ut ipse aliud nec melius nec aptius *σόφισμα* excogitet, l. d.
art. 1. c. 11. distinguens inter *ἵο eligere in Christo* & inter *eligere*
propter Christum, quod eo ipso refellitur, dum *θ. antec.* ex D. *Glassio*
ostendimus, Syncategorema *in* inter alios significatus etiam causam
meritoriam notare) vim quoq; facit contextui, cum non tantum
Græcæ versiones ista verba: *προκαταβολῆς κόσμος* interposito com-
mate dirimant à sequentibus: *εἶναι ἡμᾶς*, verùm etiam paraphra-
sis Syriaca (:) post *ܢܘܚܘܨ* figat. Neque quicquam valet consequen-
tia Maccoviana: *infinitivus esse regitur à verbo ἐξελέξατο* præter
quod nullum aliud antecedit, E. *ἵο ἐν αὐτῷ* referri debet ad *ἵο εἶναι*
ἡμᾶς & non ad verbum *ἐξελέξατο*: quidni parili modo colligere
liceat, ad participium *προορισας*, referatur necesse est *ἵο ἐν αὐτῷ*
quia illud à verbo *ἐξελέξατο* regitur. *Petrus Molinæus in iudicio,*
ad Synod. Dordracen. misso, quod ab eâdem ut accuratissimum
laudatur, & pro quo eidem gratias agendas esse decretum fuit
sess. 144. Act. p. 400. Illud Pauli, inquit, *Eph. 1.* *elegit nos in Christo;*
sic interpretor: destinavit nos ad salutem in Christo, seu per Christum
adipi-

417

adipiscendam. Sed secundum hanc interpretationem legendum esset: *Deus elegit nos eis χριστὸν in Christum*, cum tamen Apostolus expressè dicat, nos esse electos ἐν χριστῷ. Et ne quis excipere possit particulam ἐν h. l. atticè positam esse pro eis ut *Matth. 16, 28*. Apostolus in hoc ipso capite utriusque particulæ significationem accuratè distingvit, ita ut eis notet *finem* electionis, ἐν verò *causam meritariam*, nisi velimus statuere Paulum commixtione istarum præpositionum summam obscuritatem studio introduxisse, quia jam hæc, mox illa adhibetur, uti liquet ex v. 1. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 11. ubi part. ἐν occurrit. v. 5. 6. 8. 10. ubi eis ponitur. *David Pareus* jam Septuagenarius in *Epistola ad Synod. missa Act. p. 294.* verba illa: *elegit nos in Christo*, exponit: *Deum elegisse nos in Christo consequenter, h. e. ut fide & Spiritu insereremur tanquam membra capiti, essemusq; in Christo post electionem.* Juxta *Pareum* igitur Christus non est causa electionis nostræ *antecedenter & à priori*, sed tantum *consequenter & à posteriori*. *Hassiaci in suo iudicio Act. p. 531.* Christum faciunt electionis *medium* & quidem *σερεωματικὸν* h. e. primum ac præcipuum cui reliqua omnia, fides sc. justificatio, sanctificatio ipsaque etiam salus innitantur, ita ut decretum de Christo mittendo & in ignominiosam crucis mortem tradendo in signo rationis divinæ ordine posterius sit decreto electionis sive electione. Sed rectè notat *B. Menzerus in Triade Disputationum de Elect. disp. 2. §. 58.* illos committere *confusionem electionis, æternæ & executionis ejusdem, quæ fit in tempore*, utut ipsimet *Hassiaci p. 528.* hoc vitium his verbis execrati sint: *confusio electionis quæ facta est ab æterno & executionis ejusdem, quæ fit in tempore, est prorsus ἀθεόλογος.* Deinde errant in eo, quòd rationem meriti Christi æstimant ex actu & tempore passionis & mortis, quæ transierunt, cum tamen potius æstimanda sit ex prævisione, intuitu & dignitate personæ.

§. 19. Nihil tritius etiam est in Schola Calvinistarum, quàm ut nobis objiciant, Christum ideò non posse esse causam nostræ electionis, cum ipse quàm homo sit *electus* & sic electionis *effectus*. Quo in sensu allegant loca *1. Pet. 1, 20. Matth. 12, 18. Luc. 23, 35.* Ad questionem, verba sunt *Molinei l. c. p. 400.* quàm quæri solet *utrum Christus sit fundamentum nostræ electionis?* sic censeo respondendum: *Christum quatenus est homo & mediator esse caput electorum, sed non causam, cum ipse quàm*

quâ homo sit electus. Veterum Calvinianorum verba in hanc rem lege-
 ge sis apud Gerh. l. c. §. 157. p. 206. Verùm rectè B. Mentzerus *disp. 2,*
Triad. §. 122. p. 26. hanc sententiam, quâ statuitur primò Christum
 esse electum ad vitam æternam, & postea in eo tanquam capite, nos
 tanquam membra electos esse, impietatis arguit ex hoc fundamento,
 quia *electio ad vitam æternam sit hominis propter peccatum damnatio-
 ni obnoxii ex mera misericordia destinatio ad vitam æternam,* id quod
 ex ipsius Synodi verbis probat §. 4. 5. 6. *seqq.* concludit autem dicta
 §. 122. *quare qui dicit Christum esse electum ad vitam æternam, bla-
 sphemat per necessariam consequentiam, Christum in Adamo peccasse
 & propter peccatum factum esse obnoxium morti & damnationi, æquè
 ut omnes reliquos homines ex Adamo prognatos, quæ blasphemia in-
 tolerabilis est.* Contra-Remonstrantium quorundam in Belgio v. g.
Drentanorum part. 2. Act. ad art. 2. §. 3. Remonstr. th. 12. p. 342.
 impudentiam & blasphemiam, Christum esse corruptæ massæ Adami-
 ticæ particulam, quam Deus Pater ex mera benevolentia prædestina-
 verit ad gloriam, adeoque hanc particulam à reliqua massa discreve-
 rit statuentium, profligatam vide à Manguifico Dn. Præsidente in Bre-
 viar. *supplem c. 7. §. 4.* Ad objectionem, quod meritum Christi sit
 effectus electionis E. non possit esse causa, responderi solet per
 distinctionem inter actum meriti in tempore demùm secutum, & ejus
 intuitum; Ratione actus possit dici effectus, ratione intuitus autem
 utique sit causa electionis nostræ. Distingvunt etiam nonnulli inter
 locutiones populares & exquisitas. Populariter loquendo electio-
 nem dici causam meriti Christi, quatenus vocabulum *cause* sumatur
 latius pro *omni antecedente*, & vox *effectus* pro *omni consequente*, si-
 cuti dies diem, calamitas calamitatem dicitur parere, secùs verò si
exquisite loquere, tunc minùs rectè electio, dicitur causa meriti Chri-
 sti, cum ejus causa sit gratuita ac benevola Dei dilectio *Joh. 3. 16. Vid.*
Meisn. d. l. disp. 4. §. 30. n. 3. Loca ab Adversariis objecta quod atti-
 net & quidem *1. Pet. I. 20.* tantùm abest, ut ex eo sequatur, quod Ad-
 versarii volunt, quin potiùs disertè nostram sententiam statuminet, in
 fontibus enim dicitur *ωρῆσυνωσμένους* *præcognitus, præscitus*, quâ
 voce intuitus meriti Christi æternus innuitur, qui proinde à decre-
 to electionis non est excludendus. Locus alter *Matth. 12. 18.* ci-
 tatus ex *Esai. 42. 1.* haud quaquam etiam patrocinator Adver-
 sariis:

sariis: **אֲהַבְתִּי** enim apud *Matth.* rectè vertitur *ἀγαπητός dilectus*. Ex quo patet, longè alio sensu Christum dici *electum*, quàm nos dicimur electi, nimirum *electum esse*. hic idem est, ac *eximie charum*. Sicuti etiam substantivum **אֲהַבְתִּי** notat *rem electam & præstantem*; solemus enim in libera electione eligere id, quod nobis optimum & præstantissimum videtur. Vid. *Gen. 23, 6. Exod. 14, 7. cap. 15, 4. 2. Reg. 3, 19. cap. 19, 23.* & alibi passim. Quo sensu etiam sumitur locus *Luc. 23, 35.* ubi *ἐκλεκτός* idem est ac *eximius & excellens*. Confer etiam loca *Jerem. 22, 7. cap. XLVIII, 15.* Præterea Christus dicitur ab æterno *electus seu ordinatus* ad salutem nobis promerendam, nos verò prædestinati sumus ad salutem consequendâ, quæ duo accuratè invicem distinguenda sunt. Magis autem Adversariis favere videtur locus *Rom. 1, 4.* ubi Filius Dei dicitur *ὁμοιωθεὶς ἐν δυνάμει*, quam vocem Vulgata reddidit *prædestinatus*. Sed vitiosam hanc versionem esse, & potius transferendam *declaratus, demonstratus, manifestatus, ostensus* quivis videt, Christum enim non posse referri inter objecta electionis §. præced. evicimus, eò quod prædestinatio supponat statum perditionis tanquam terminum à quo fit electio sive ad gratiam sive gloriam. Et quod neque hic locus de tali Prædestinatione agat, patet *tum* ex indole ipsius vocis Græcæ, quæ nequaquam supponit statum perditionis tanquam terminum à quo separationis; sed ea genericè notat separationem alicujus à reliquo cœtu ad certam quandam provinciam vel finem abstractâ termini à quo qualitate, utrum ille peccaminosus sit, nec ne, præscisâ etiam qualitate termini ad quem, utrum ille sit æterna beatitudo vel interitio, id quod inductione constat omnium locorum *Act. 10, 42. cap. 11, 29. cap. 17, 26. 31.* Tum ex scopo & circumstantiis textus; dicitur enim Christus *ὁμοιωθεὶς declaratus Dei filius ἐκ ἀναστάσεως νεκρῶν ex resurrectione mortuorum*, id est, ex mortuis. Dum igitur Christus propriâ virtute seipsum excitavit à mortuis, juxta illud *Johan. 5, 21. 26* demonstravit hoc ipso se esse verum & naturalem Dei Filium, non adoptivum, quales nos sumus beneficio Prædestinationis, quorum nullus propriâ virtute resurgere potest. Hinc etiam *Lutherus* rectè vertit: *Und kräftiglich erwecket er den Sohn Gottes 2c.* Et sic interpretatos esse, h. l. Patres antiqui *Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum*, ostendit *Fesslius Advers. sacr. lib. 1. c. 4. §. 3.* ubi etiam ex *Platone & Aristotele* observavit; verbum *ὁμοιωθεὶς*

E non-

nonnunquam idem notare ac *estimare, censere*, & juxta hanc significationem hujus loci sensus hic esset: *Christus Filius Dei agnitus & estimatus* est ex illa divinissima resurrectione ex mortuis.

§. 20. Notanter autem in defin. supra §. 10. tradita dicitur; *nos eligi propter commune meritum*, ad innuendum catholicissimum satisfactionis Christi, quem Scriptura passim deprædicat, nominando Christum primò *Salvatorem totius mundi* 1. *Johan. 2, 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis. Sic Johan. 1, 29. dicitur agnus Dei, tollens peccata mundi.* His adde *Johan. 3, 16. 17. cap. 4, 43. cap. 6, 51. cap. XII, 47. 2. Cor. 5, 19. 1. Job. 4, 14.* Quibus in locis vocabulum *mundi* ad solos Electos cum *Vendelino lib. 1. Christ. Theol. cap. 3. p. 306. Noviss. edit. & Spanhemio Exerc. de grat. univ. sect. 17. p. 743. restringere, vetat tum Apostolica auctoritas 1. Johan. 2. quæ utique expiraret, si mundus hic notaret solos electos; hujus enim oraculi melliflui foret sensus; *Christus est propitiatio non pro nostris scil. electorum, sed etiam pro electorum peccatis*; quod prorsus absonum: tum defectus hujus significationis in universo sacro codice, quâ *mundus* solos electos notet. Quod supra à nobis th. 13. demonstratum fuit. Quid? quod hac ratione omne solatium afflictis conscientis prorsus eripiatur; quid enim respondebis tentatæ conscientie quærenti; *unde mihi liquet me esse ex numero illo absolute electorum? annon facilius est me esse in illo longè majori parte absolute reproborum?* Deinde universalitas meriti Christi colligitur ex illis Scripturæ locis, in quibus terminus universalis occurrit ut (α) *Esai. 53, 6. Posuit Deus in Christo iniquitatem omnium nostrum.* Ubi per partic. *omnis* universum genus humanum intelligi patet ex verbis proximè præcedentibus, *quod isti sanati sint livore Christi, qui sicut oves errarunt & in viam suam declinarunt.* Quâ descriptione omnes & singulos mortales à Propheta notari liquidum est ex *Psal. 14, 3. Tum etiam hoc absurdum aliàs sequatur necesse est, electos solos errasse.* Neque est, ut quis excipiat, Prophetam hic loqui tantum de suis auditoribus, esto, num illi omnes fuere electi? (β) *Rom. 5, 18. 19. Ubi Apostolus gratiam, hoc est, justitiam per Christum acquisitam, fide amplectendam vers. 17. describit, quod non solum sit abundans, sed & superabundans super peccatis pleonasmum.* Amplitudo autem gratiæ major est abundantia peccati (1) *extensive*, idque tum ratione termini ad quem, qui sunt omnes homi-*

homi-

415

homines: quemadmodum, inquit Apostolus vers. 18. *per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem: ita per unius justificationem propagatur bonum in omnes homines ad justificationem vite.* Hic comparationis vis utique requirit *τὸ omnes* in *ἅπασαν* non posse restrictius sumi, quàm in *ἅπασαν* positum est, aliàs si in posteriore comparationis membro pro *τὸ omnes* substituas paucos, expirat & comparatio & gratiæ superabundantia. Tùm ratione *objecti*, quia si nostra peccata sunt numero multa, adhuc copiosior est gratia. (2) Amplior est gratia peccato *intensivè*, si atrociora & grandiora gradu, gratia grandior est *Esai. 1. 16. 17. seqq.* si peccata nostra sunt inveterata aut sæpiùs iterata, ut fuit Petrina abnegatio, Thomæ incredulitas, gratia tamen adhuc abundat: & pro jactura pristinae gratiæ restituitur major gloria consanguinitatis scil. cum Deo, visionis beatificæ &c. (γ) 2. Cor. 5, 14. *Si Unus pro omnibus mortuus est. Ergò omnes mortui fuerunt.* Atque hinc per regressum: Si omnes & singuli mortui sunt E. pro omnibus & singulis Christus mortuus est. Per *τὸ omnes* Apostolum intelligere non solos electos, sed singulos mortales, patet (1) ex vers. 19. ubi voce *mundi* comprehenduntur: *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians.* (2) Ex *λόγῳ καταλλαγῆς* vers. 18. qui utique universalis est & ad omnes pertinet. (3) Illos Apostolus per Christum redemptos dicit, *quos oportet manifestari coram tribunalis Christi* vers. 10. *qui non sibi, sed Christo vivere debent.* v. 15. (δ) 1. Tim. 2, 6. *Christus dedit semetipsum ἀντίλυτρον* pro omnibus, & cap. 4, 10. *Christus est σωτῆρ* omnium hominum, maxime fidelium. Quid evidentiùs commune Calvinistarum effugium de part. *omnis* exponenda per *genera singulorum* sive solos electos pessundat, quàm oppositio fidelium & omnium hominum hoc ipso in loco ab Apostolo instituta? vicujus ita concludimus: Quæcunque opponuntur per *ἕξοχήν* sive per præcellentiam unius præ alio, illa non possunt esse æquè lata, aliàs *ἕξοχή* unius præ altero nulla esset; sed Electorum cœtus & cœtus redemptorum, qui sunt omnes homines, invicem opponuntur h. in l. tanquam latius & angustius. E. cœtus electorum & redemptorum non sunt æquè lati. Falsum est quod *Vendelinus* l. c. p. 676. dicit, *σωτῆρ* in antecedenti non significare servatorem, seu liberatorem per modum redemptionis, sed tantùm conservatorem vitæ naturalis in afflictionibus & persecutionibus. Tibias ejus-

dem etiam inflat *Spanhemius* l. sæpius c. pag. 808. citans pro se versio-
nem Italicam quæ vertit *conservatore*, & Biblia Belgica quæ itidem
vertunt *σωτήρ* non *Salghmacher* sed een behouder i. e. conservato-
rem. Idque ex hoc fundamento, prout in Scholiis Belgæ annotant,
quod verbum *σώζειν* communiter pro omnis generis conservatione
& custodia aliquoties sumatur. Sed aliud indicat promissio bonorum
non solum hujus seculi sed & futuræ vitæ vers. 8. Præterea notant No-
strates, licet verbum *σώζειν* interdum usurpetur de conservatione in
rebus temporalibus, ut *Matth. 8. 25. Act. 27. 31* nomen tamen substan-
tivum *σωτήρ* in N. Testam. nullibi sumi pro solo conservatore in na-
turalibus exclusâ salvatione spirituali, sed semper notare liberatorem
spiritualem seu salutis æternæ datorem; quod probant inductione o-
mnium locorum *Luc. 1. 47. cap. 2. 11. Johan. 4. 42. Actor. 5. 31. cap. 13. 23.*
Eph. 5. 23. Philip. 3. 20. 1. Tim. 1. 1. cap. 2. 3. 2. Tim. 1. 10. Tit. 1. 3. 4. cap.
2. 10. 13. cap. 3. 4. 6. 2. Petr. 1. 1. cap. 2. 20. cap. 3. 2. 18. 1. Johan. 4. 14.
ubi dicitur *σωτήρ ἡ ζωὴ αἰώνου*, *Ind. vers. 25.* Quid? quod exinde se-
quatur hoc inevitabile absurdum, si Christus solâ conservatione est
σωτήρ hominum; non magis erit eorum *σωτήρ* quàm taurorum, vitu-
lorū, &c. imò ipsorum Dæmonum. Et quæ ratio cur in priori membro
propositionis eadem vox *σωτήρ* aliter sumatur, aliter in posteriori?
(ε) Sic *Coloss. 1. 21.* *Complacitum est Patri per Christum omnia re-*
conciliare erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius sive quæ in ter-
ra sunt sive quæ in cælis. Huic parallelus est *Eph. 1. 10.* Vide etiam
Hebr. 2. 5. Rom. 8. 32. Tit. 2. 11.

¶. 21. Porro universalitatem meriti Christi haud obscure quo-
que probant SS. literæ istis in locis, ubi dicitur Christum etiam satis-
fecisse pro illis qui perire possunt, qui abnegant Dominum, qui eos mer-
eatus est v. g. *Rom. 14. 16.* *Noli cibo tuo perdere illum pro quo Christus*
est mortuus. *Conf. 2. Cor. 8. 11. 2. Pet. 2. 1.* *In vobis erunt Magistri men-*
daces, qui introducent sectas perditionis & eum qui emit eos, Dominum
negant. Quod si igitur aliquis ex his pro quibus Christus mortuus
est perire potest, utique pro non Electis etiam & consequenter pro
omnibus & singulis erit à Christo satisfactum, adeoque ejus meritum
universale, quandoquidem electi perire non possunt *Matth. 24. 24.*
Vendelinus, uti præ reliquis impudens est, ita & hic excipit l. c. p.
675. Prior locus *Rom. 14.* non ait, eum pro quo Christus est mortuus posse
damna.

420

damnari, sed prohibet eum perdere h. e. scandalo percellere & conscientiam
ejus offendere, quo pacto quantum in nobis est pereundi occasio possit pra-
beri infirmo fratri. Sed non perit ilico cui datur pereundi occasio, cujus
conscientia offenditur: sustentat enim eos altissimi dextra, quos Filii sua
morte redemit. Posterior locus c. 2. Pet. 2. non agit de vera redemptione ab
aeterna morte, sed de liberatione ab ignorantia & errore seculi per lucem
Evangelii, quae & Pseudoprophetae istis contingit; vel mercatus dicitur Do-
minus Pseudoprophetas, non *ἀληθῶς* in veritate rei, sed *καὶ δόξαν*, quia in
Ecclesiae gremio versantes videbantur ex eorum esse numero, qui per Chri-
stum sunt redempti & pro talibus se jactabant. Haec ille in cassum. Posito
enim, non semper illum perire, cui scandalum praebetur, manet tamen
posse perire, aliàs, si nullatenus perire posset, frustranea esset cautio A-
postolica de fratre non perdendo; perinde enim esset ac si diceres,
cave ne perdas fratrem in caelesti gloria confirmatum, quem con-
stat perire non posse. Imò Apostolus in loco paral. 2. Cor. 8, 11. de
ipso actu pereundi *indicative* loquitur dicens: *frater tuus peribit.*
Locus Petrinus utique agit de eo, qui ab aeterno exitio est emptus seu
redemptus per Christum, quod patet ex v. 4. *seqq.* Deinde si is, qui
dicitur emptus, non fuit *ἀληθῶς* sed tantum *καὶ δόξαν* emptus, se-
quitur etiam Dominum eminentem non fuisse verum eorum Dominum
sed tantum *δοξασικῶς* talem; posterius verò absurdum est, quia qui
aunquam fuit verus Dominus, non potest etiam abnegari, neq; etiam is
peccaret, qui Dominum *δοξασικῶς* suum abnegaret. E. & prius.
Neque etiam valet exceptio *Massonii. part 3. Anat. p. 262. Apostolum*
hic loqui de falsis, Doctoribus quos ex charitate Christiana pro redem-
ptis à Christo habuit. Ast quis tam caecam ac imprudentem charitatem
Petro tribuat! Nefas dictu illum pro fidelibus habuisse eos qui per-
niciosas sectas inducunt, qui Dominum abnegant, qui sibi accersuri sunt
velox exitium, qui vitam veritatis blasphemant & quae sunt alia ejus-
modi Epitheta à Petro falsis istis Doctoribus tributa. Huc pertinent
etiam dicta *Ebr. 6, 4. 5. 6. col. cum c. 10, 26. seqq.* Ubi peccatores in
Spiritum S. dicuntur sanctificati sanguine testamenti, ergò pro illis
sanguis effusus fuit. Ubi cavendum ne cum *Spanhemio l. c. p. 204.*
sanctificationem de *opinativa* sanctificatione exponas, sive ex opina-
tione propria talium de se sive etiam ex aestimatione aliena fundata

in canone charitatis. Sic enim peccatores in Spiritum S. qui ab opinativa sanctificatione resilierunt, non fuerunt veri Apostatae, neque etiam peccarunt. Patrum testimonia nostram de universalitate meriti Christi sententiam confirmantia allegata vide magno numero apud *Mesin. d. 1. disp. 3. q. 26. Gerhard. S. 114. p. 163. Vossium Hist. Pelag. lib. 7. part. 1. q. 3. à p. 656. ad 670.*

S. 22. Ex subnexis ad quævis loca Scripturæ exceptionibus haud difficilè cuivis colligere licet, quæ sit Calvinistarum præsertim rigidiorum sententia de causa prædestinationis meritoria, (de Pontificiis jam nihil dicamus, quorum plerique in castris Pelagianis militant, statuentes Deum ob prævisa bona opera homines ad vitam æternam elegisse) nimirum coarctant illi eandem intra angustos hosce terminos, ut rotundè confiteantur, *Christum pro solis electis, nequaquam pro reprobis merito suo satisfacisse. Beze in antith. Colloq. Momp. p. 421. intolerabilis hæc vox videtur; Christum esse mortuum pro damnatis. Idem in respons. ad acta part. 2. p. 221. citante B. Mesin. l. d. disp. 3. q. 1. satis thraconicè hæc verba prodit: Iterum dico & coram tota Ecclesia Dei profiteor, falsum, blasphemum, impium esse dicere, Christum, sive quoad Dei consilium, sive quoad effectum, non minus pro damnatorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse & satisfacisse, quam pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum. Zanchii, Piscatoris, Bucani verba lege sis apud B. Gerh. L. de Elect. S. 116. p. 165. Et ne quis à consortio hujus dogmatis Calvinum eximat, diligenter cavet Zvingerus in defens. Calv. p. 238. Perkinsus in catech. generalem liberationem omnium & singulorum, ut & doctrinam de universali gratia salvifica, appellat Scholam universalis impietatis, imò merum cerebri humani commentum. Inprimis autem Spanhemius particularitatem meriti Christi omnibus viribus propugnare an nititur, & huic rei integras duas sectiones 18. & 19. Exercitationum suarum impendit, flosculi inde collecti sunt hi: me inquit p. 779. argumenti, quod tanto contemptu prosequitur vir doctus (Amiraldus) haud quaquam piget. Quale verò illud est? probare volui, missionem & exhibitionem Redemptoris in plenitudine temporum particularem fuisse. In subsidium ibi adducit locum Matth. 15. 24. ubi Christus docet, se non esse missum nisi ad πρόβατα τὰ ἀπολωλότα ad oves perditas domus Israelis. Qui tamen locus, ut hoc obiter notemus, frustra*

stra ad id probandum allegatur, quod debet probare nempe parti-
 cularitatem meriti Christi, cum nihil aliud inde concludi possit nisi
 hoc: Christum esse missum ad *διακονίαν* officii circumcisioni prius præ-
 standam, quam præputio, quod haud obscure innuunt verba Domini:
Sine prius saturari filios Marc. 7, 27. Pergit Spanhemius & p. 781.
 dicit: Christum in tota sua mora in his terris nullis nisi Israëlitis pau-
 cissimis aliis exceptis, sui notitiam communicasse: De reliquo Israëlitis
 mystici, vel ovium Israëlitis & filiorum Abrahæ spiritalium bene
 Christum tantum missum ex eo patet, quia illis Solis gratiam & gloriam
 acquisivit, pro illis solis orat, reliquos ne novit quidem unquam, minus
 se illorum bono & loco sanguinem fudisse testatur. p. 786. negamus il-
 lum venisse ut Salvatorem omnium & singulorum hominum, quorum in-
 numeros non servet actu, sed relinquat in morte. p. 788. Concedit qui-
 dem Christum etiam aliis, qui non electi erant, se patefecisse, sed ne-
 gat eum esse missum eorum bono, minus eorum loco ut esset victima pro
 illis & gratiam redemptionis ad eos extenderet. Et ibid. dicit: Chri-
 stus quoad ministerium externum paterfactus fuit non solis electis, sed
 promiscue veluti & communiter genti Israëlitis, ut plures alloquendo
 & officium ab illis exigendo electos suos colligeret, quos Pater ipsi dedit,
 & quibus illi placuit revelare mysteria regni cælorum, p. 789. quoad
 virtutem vero internam ejusq; collationem, utiq; missus tantum fuit ad
 electos in Israele, quibus duntaxat gratiam fidei largiri voluit. p. 1887.
 Suppositam ab Amyraldo propositionem; neminem negare posse quin
 Christus Redemptor universo populo destinatus fuerit, negat & ab
 Amyraldo gratis dici asserit. Ibidemque illud Luc. 2, 10. quando
 Angeli gaudium ex nativitate Christi toti populo futurum annun-
 tiant, restringit ad illum tantum populum, cui revera gaudium obor-
 tum est ex nativitate Messia, & cui populo gaudium inde futurum e-
 rat actu, reliquis exclusis. Quæ temeraria adfertio est. Sect. 29. p.
 2063. ad hypothesein Amyraldi: neminem negare Christum mortuum
 esse, pro omnibus & singulis hominibus sufficienter, respondet: quamvis
 sufficientiam *λύγες* Christi pro omnibus & singulis admittant omnes,
 prius tamen negant innumeri. Et citat ib. judicia Palatinorum, Hel-
 vetiorum, Genevensium, Embdanorum, Hollandorum, Zelandorum,
 Ultrajectensium, Frisorum & Drentanorum, Et p. 2071. sa-
 tis temerarie ebuceinat: Scriptura sacra nusquam docet Christum es-
 se mortuum in eum finem aliquo modo, ut omnibus & singulis saluti es-

set, pergit, docet quidem Christum esse mortuum pro omnibus, nusquam
vero pro omnibus hominibus minus pro omnibus & singulis. Quod
putidum mendacium hausit ex judicio *Deputatorum Synodi G. Idreæ*
ad art. 2. Remonstr. Act. part. 2. p. 162. Taceo jam alia quæ ce. II.
habet quàm plura, quæ cuivis legenti non possunt non esse obvia.
Supersedeo etiam *Parei, Altingii, Bucani* aliorumque huic sectæ ad-
dictorum verba in medium proferre, quorum communis sententia
est: Christum pro solis electis esse mortuum. Unum adhuc addo
ex *Vendelino* qui *lib. 1. Chr. Theol. c. 17. p. m. 664.* inquit: *Senten-*
tia nostra est, Christum non pro omnibus & singulis hominibus, sed pro
solis electis, qui olim crediderunt, tum credebant, vel deinceps per gra-
tiam ejus credituri erant, mortuum esse & divine justitiæ satisfecisse.
Vid. & Masson. part. 3. Anatom. p. 199. negantem Christum esse mor-
tuum pro impiis & damnatis. Etp. 215. inficias euntem Christum esse
ω̄νηγ infidelium. Arietes autem illorum quos orthodoxiæ de-
moliendæ obvertunt, maximam partem protritos lege à *B. Meissn.*
Anthrop. Dec. 2. Disp. 3. §. 38. seqq. & *B. Gerb. L. de Elect. p. 167. seqq.*
Argutias, quas nectunt Spanhemius, Vendelinus, Molinæus, Massi-
nus, solvit Dn. D. Danhauerus Theologus Argentoratensis celeberr-
imus in sua Hodom. Spir. Calv. phant. 8. §. 55. p. 1641. seqq.

§. 23. Quaquam verò nonnulli ex ipsis *universalitatem* quan-
dam merito Christi tribuere videantur, distingventes inter *sufficien-*
tiam mortis Christi & ejus *efficaciam*, quorum prius concedunt, po-
sterius negant; tamen inter se hac in re maximoperè dissentiunt. Qui-
dam enim *sufficienciam potentialem* tantùm admittunt, h. e. dicunt
mortem Christi ratione amplitudinis atque potentiaæ suæ posse dici
sufficientissimum remedium peccatis omnium & singulorum homi-
num expiandis, uti *Paréus* loqui amat in *suo judicio de quinq. articulis*
Remonstrantium Synodo Dordracenæ exhibito Act. p. 301. Et *Hassi-*
aci in jud. ad art. 2. Remonstr. Act. p. 518. confitentur; *mortis Christi in*
se spectatæ & consideratæ virtutem ac dignitatem tantam esse, ut omni-
bus & singulis hominibus, si vel plures, quam milleni essent mundi, Deo
reconciliandis & peccatis eorum expiandis sufficiat. *Actualem au-*
tem ejusdem efficaciam negant & pernegant h. e. negant Christum
per suam mortem omnibus hominibus ipso actu redemptionem & re-
conciliationem, remissionem peccatorum & vitam æternam acqui-
sivisse,

422-

sivisse, ita, ut omnes omninò homines dici possint cum Deo per mortem Filii reconciliati, redempti & jus remissionis peccatorum æternæque vitæ habere; sed omnia illa beneficia Christum passione & morte suâ acquisivisse & obtinuisse solis suis õvibus, seu electis, quos Pater ipsi redimendos æternumque salvandos tradidit, atque ad eos & non alios beneficia illa propriè spectare. Verùm enim verò hujus distinctionis Patroni à suis met gregalibus hîc deseruntur eorumque $\sigma\upsilon\mu\psi\eta\phi\iota\sigma\mu\omega$ destituuntur. *Beza* certè dura, ambigua ac barbara audit illa ipsa distinctio *part. 2. ad Act. Colloq. Mompel. Piscator in disp. de prædest. ð. 109.* eandem planè rejicit; *Pro reprobis, inquit, nullo modo mortuus est Christus seu sufficienter dicat seu efficienter. Maccovius in Colleg. de prædest. disp. 12.* illam ut ineptam exagitat. *Vendelinus l. 1. Christ. Theol. c. 17. p. m. 679.* eam admisse catachreses arguit: *distinctione hac, inquit, ab initio usi non sumus: quia durior in iis videtur catachresis. Nam pro aliquo mori, si propriè loquamur, est in alicujus gratiam vel alicujus loco mori, ut à morte liberetur ille: & si ultronea sit mors pro alio appetita, charitatem præsupponit longè maximam, Christo teste Job. 17, 13. jam si addas, sufficienter tantum, nõ efficaciter, hic emerget sensus parùm congruus: Christus charitate maxima impulsus reproborum loco est mortuus, ut à morte illi liberarentur, sufficienter quidem, sed non efficaciter, h. e. ut actu nunquam liberarentur.*

§. 24. Multi eorum & quidem non infimæ cavæ Theologi, ut verbis *Spanhemii* utamur *Exerc. p. 2058* licet sufficientiam mortis Christi ad omnium & singulorum hominum peccata expianda concedant, ob infinitatem pretii & valoris, negant tamen Christum sufficienter pro omnibus & singulis hominibus, pro omnium & singulorum hominum peccatis expiandis mortuum esse, ex hoc fundamento, quia ad id, ut Christus dicatur sufficienter mortuus pro omnibus & singulis hominibus eorumque peccatis, requiratur intentio tum Dei Patris Filium in mortem dantis, tum Filii mortem subeuntis, quam negant unquam fuisse sive in Patre sive in Filio pro omnibus mortem oppetere. Hinc *Palatini in jud. ad art. 2. Remonst. Act. p. 613.* thesin hanc pro orthodoxa venditant: *Christus ex Patris & suâ intentione omnibus & solis electis reapse impetravit reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum & vitam æternam. Et p. 616. expressè dicunt:*

F dicunt:

dicunt: *Christus & mortuus est, & resurrexit & in cœlis apud Patrem intercedit pro solis electis & fidelibus h. e. partim loco, partim bono iustorum.* Ex quibus *Spanhemius l. c. p. 2063.* concludit: *hoc nulla ratione ab iis dici potuisset, si censuissent Christum etiam sufficienter mortuum esse pro non electis.* *Genevensium etiam Act. p. 635. th. 1. & 2.* rotunda hæc est advertio: *Christus ex mera eudoxia Patris, destinatus & datus fuit Mediator & caput certo hominum numero, corpus ipsius mysticum ex Dei electione constituentium.* Pro illis ipsis *Christus vocationis sue optime conscius, voluit & decrevit mori & pretio mortis infinito addere efficacissimam & singularem voluntatis intentionem.* *Gemina hæc invenies apud Embdenses Act. p. 659.* qui ad quaestionem à *Remonstrantibus in Collatione Hag. p. 143. & 175.* affirmatam: *an Christus mortuus sit pro omnibus ex intentione, consilio & decreto Patris?* hæc suam antithesin ponunt: *Christus ex intentione, consilio & decreto Patris pro solis electis mortuus est.* Nolo impræsentiarum adducere testimonia *Helvetiorum Act. p. 625, §. 1. 2. 3. 4. 5.* *Nassovio-Vetteravicorum p. 629. §. orthod. 2.* *Deputatorum Synodi Australis Hollandiæ Act. part. 2. p. 175.* & in rejectione errorum *Huberianorum & Puccianorum p. 176. seq.* *Northollandorum p. 184 & 185.* *Zee-landorum p. 190.* *Ultrajectensium p. 195.* *Deputatorum Trans-Isulaniæ p. 222.* *Deputatorum Gröninganæ & Omlandia Synodi p. 229.* *Drentanorum, p. 237.* in hæc sententia cum superius citatis ex asse conspirantium. Videatur etiam *Spanhem. Exerc. de grat. univ. in respons. ad erotem. 29. p. 2058 seqq.* præprimis verò *p. 2075. & seq.* ubi distinguit inter id, quod absolute sufficiens est, & quod secundum quid tantum sufficiens, & statuit, mortem Christi accuratè loquendo non esse absolute sufficientem omnibus & singulis redimendis, populariter verò loquendo & secundum quid esse sufficientem.

§. 25. Nonnulli autem hisce contradicere videntur, præsertim qui mitiores videri volunt, negantes merito Christi quicquam inesse posse nisi ex intentione Dei & ipsius Christi, prout videre est apud *Hildebrandum in Declar. orthod. ad art. 1. p. 7.* qui ex *Palatinorum refutatione scalæ aureæ* in testimoniis à se citatis allegata *p. 45. tot. §. 9.* *Declarationis suæ* ad verbum transcripsit, quem sic orditur: *Si quis autem de Dei proposito & Christi voluntate in morte suâ querat, non aliter respondere possumus quam Christum pro omnium hominum delictis*

licet

427

lietis iuxta eternum Patris sui beneplacitum mori voluisse & debuisse; Et paucis interjectis ait: sicuti Evangelium docet & experientia comprobatur, quod Christus pro omnibus mortuus sit: ita etiam cœlestis Patris & ejus ipsissima voluntas fuit, & propositum pro omnibus mori. Quod enim Christus fecit, procul omni dubio ipsius voluntas fuit, ut faceret, & ita faceret, uti fecit. Eandem hanc sententiam etiam fovet Ludovicus Crocius in judicio suo ad art. 2. Remonstr. Synodo Dordr. exhibito Act. part. I. p. 656. Et hi ipsi cum Cameron, Amyraldo, utroque Bergio, Durao, & quotquot hodiè ex illorum secta Syncretismum cum Lutheranis inire satagunt, universalem etiam efficaciam mortis Christi h. e. eundem pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse concedere videntur, sed pendentem ab hac conditione si singuli crederent & pœnitentiam agerent. Uti videre est apud Crocium c. 1. th. 3. & Hildebrandum Declar. orth. th. 4. ubi ait: Christus sua morte apud Patrem suum sufficientem pro omnibus totius mundi hominibus, favorem, gratiam & reconciliationem acquisivit, si omnes crederent & cum Deo reconciliari cuperent. Et th. 5. dicit: Hoc esse fundamentum omnis Evangelicæ consolationis contra quasvis desperationis tentationes, quum contristatus & afflictus animus audit, quamvis sua peccata magna & multa sint, apud Deum tamen reconciliationem paratam esse, & quidem sufficientissimam in sanctissima Christi passione & morte, si credat. Ubi captiosè ponitur reconciliationem paratam esse, tum pro partam esse sive impetratam per solutionem λύτρωσις, tum pro paratam esse quæ hic & nunc applicetur pœnitenti, sed mediante fide, quam solis electis dare Deum decrevisse Calviniani volunt. Quidam denique absolutam quandam efficaciam etiam quoad reprobos merito Christi tribuendam esse censent, sed non tendentem ad eorum salutem, verùm potiùs ad eorundem anapologiam & majorem condemnationem. Cujus sententiæ Authores citantur quidam Bremenses, Britanni, Galli, Batavi &c. apud Hildebrandum l. c. p. 185. seqq.

§. 26. Ut autem in hoc sententiarum divortio tandem sciamus, quæ sit genuina Calvinianorum de universalitate meriti Christi sententia, ante omnia status controversiæ ritè formandus est, qui hic est: quaeritur sc. An ex intentione Dei detur actu secundo universalis quaedam efficacia mortis Christi, non intenta solum singulis mortalibus,

bus, sed quæ in singulis etiam aliquo modo sese exerat sive objective quoad propositionem, sive subjective quoad ipsam collationem sive infusionem. Id quod in universum omnes Calvinistæ negant etiam Bergius, Crocius, Duræus, & nemo non mitiorum prout videri volunt; Atque hinc patet eos nihil omnino plus quoad efficaciam intentionalem morti Christi adscribere, quàm Calvinus, Beza, Martyr atq; alius quispiam rigidiorum. Quanquam enim Hypothesici (cujus nomenclationis Author est Andreas Rivetus in Epist. Apolog. ad Guilelmum fratrem p. 14. & 33.) concedant, Deum singulis etiam destinasse collationem hujus universalis effectus meriti Christi, semper tamen destinationem istam faciunt conditionatam pendentem ab hac conditione, si singuli crederent. Quam liberalitatem illusoriam ac veteratoriam esse, ipsam autem adsertionem ineptam & contradictoriam Theologi Leidenses in Judicio Exercit. Spanhemii de grat. univer. præfixo rectè censuerunt. Et Spanhemius ipse vocat absurdam, frustraneam, illusoriam, contradictoriam, insipidam, phantasticam, evanidam, inutilem, inanem, inconstantem, catachresticam, histrionicam, ludicatoriam, quod vel sexcenties repetit in Exercit. vid. sect. 4. §. 1. p. 78. §. 2. p. 80. 83. 84. §. 3. p. 86. 89. §. 7. p. 98. §. 9. p. 103. §. 10. p. 104. §. 12. p. 107. Sect. 5. §. 5. p. 121. §. 7. p. 136. 138. 139. Et in resp. Erotem. 29. p. 2057.

§. 27. Haftenus de causa efficiente principali tum etiam impulsiva sive meritoria fuit actum, sequitur in definitione, materialis sive quod idem est objectum prædestinationis. Quod nequaquam sunt Angeli, prout cum Scholasticis Thoma, Scoto, Bonaventura, Durando, quibusdam Jesuitis Bellarmino, Becano, loca eorum citata invenies ap. B. Meisn. disp. 7. Dec. 2. q. 1. quibus adde Valent. Tom. 1. disp. 4. q. 13. pun. 2. Tanner. Theol. Schol. Tom. 1. disp. 1. q. 1. dub. 6. quidam ex Calvinianis autumant. Polanus in Didasc. de prædest. p. 9. quod repetit l. 4. Syntagm. Theol. c. 8. Bucanus L. 36. q. 6. Hisce suffragatur Chamier Tom. 3. Panstr. l. 8. c. 8. n. 24. inquit: non homines tantum ab eterno prædestinati sunt, sed etiam Angeli. Sic etiam Piscator Im ausführlichen Bericht von den Hauptstücken Christlicher Religion p. 18. Qui error satis inde refutatur, quod Angeli beati nunquam fuerunt in illo statu, qui est terminus a quo facta dicitur electio propriè dicta, nempe in statu miseriæ ac peccati, & quibus

bus proinde Christo Redemptore non opus erat, utpotè qui tantum missus erat, ut liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, eaque propter non Angelicam naturam, sed semen Abrahæ assumfit Ebr. 2, 15. 16. qui venit salvare, quod perierat Luc. 19, 10. Locus autem, quem Adversarii pro palliando errore suo allegant, 1. Tim. 5, 21. Ubi Paulus inquit, Testor coram Deo & Domino Jesu Christo & electis Angelis, non probat quod probare debet. Præterquam enim, quod adhuc nonnulli disputent, quid per vocem *Angeli*, cum sit nomen officii, intelligendum hîc veniat, utrum creature illæ spirituales, quibus καὶ ἐξοχῶν hoc nomen Scriptura tribuit, an verò *Ministri verbi*, qui propter officium hoc etiam nomine in Scripturis describuntur Ind. 2, 1. Mai. 3, 1. coll. cum Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Posito hîc sermonem esse de Beatis Angelis, falsum tamen est, vocem ἐκλεκτῶν de Angelis prædicatam hoc in loco propriè sumi prout notat electionem salvandorum ad vitam æternam. Est enim illa ipsa vox ἐκλεκτῶν πολλαχῶς λεγομένων ostendente B. Meisn. l. d. disp. 4. q. 1. & nonnunquam sumitur pro approbatione & dilectione rei eximiæ, loca citavimus supra θ. 19. Hinc & ἐκλεκτός in lingvâ Græca sæpius tantundem significat, quod *eximius* & *excellens*. Agnoscit hoc ipse Rivetus Tom. 1. opp. Exercit. 110. in Gen. electionem, inquit vel electi nomen de re exquisita & excellenti in Scriptura dici agnoscimus. Ex dictis constat, nihil aliud Apostolum h. in l. Subindicare, quàm præstantiam & eximietatem Angelorum. Multò minùs Christus quatenus homo ad objectum electionis pertinet, quæ etiam Calvinistarum blasphema ac impudens assertio est supra θ. 19. à nobis profligata. Sed

θ. 28. Objectum Prædestinationis specificum sunt homines Rom. 9. 11. Eph. 1, 4. 5. Non autem indifferenter omnes, quod Huberi svavifomniū fuit satis superque elisum illo Salvatoris Matth. 20, 16. repetito cap. 22, 14. multi sunt vocati, pauci verò electi; sed quidam, non tamen in signo rationis divinæ considerati, ut adhuc creandi, aut creati quidem, sed in statu integritatis constituti, verum in peccatum jam prolapsi. Terminus enim à quo electionis est miseria & mors æterna, cui propter peccatum Adami homines obnoxii sunt, ideoque additur in definitione nostra; electionem fieri ex massa corrupta, quod probat Apostolus Rom. 9, 21. ubi ex luto jam præexistente vasa quædam præparan-

tur ad gloriam. Et Eph. 2, 1. & 2. ubi dicit: Deus qui dives in misericordia, vos jam mortuos in peccato considerare fecit in caelestibus in Christo Jesu. Summa: in quo statu homo est objectum vocandum, justificandum & salvandum, in eo quoque est objectum eligendum. Major hæc nititur indubitabili illa regula (quæ sunt verba Synodico- rum Dordrac. Act. part. 1, p. 292.) quicquid Deus in tempore facit, id ab eterno facere decrevit. Hinc Pareus in Epist. ad Synod. transmissa p. 286. de objecto, inquit, tuto ac verè dici posse arbitror, Deum tale ge- nus humanum prædestinasse, quale propagare, vocare, justificare, glori- care decreverat, ex doctrina Apostoli Rom. 8, 30. lapsu, nimirum suo miserabili. Atqui homo in statu naturæ jam corruptæ est objectum, vocandum, justificandum, salvandum, juxta modò citatum Apo- stolum Eph. 2, 1. seqq. Rom. 3, 23. Ergò etiam in illo statu est objectum eligendum. Neque etiam ad objectum electionis pertinent absolute hi vel illi quomodocunque se habentes, sed in Christum credentes aut credituri Johan. 6, 40. οἱ μέλλοντες πιστεύειν 1. Timoth. 1, 16 Conf. 2. Thess. 2, 13. 1. Petr. 1, 2. qui sunt sancti fideles Eph. 1, 1. & Christi vocem audientes Johan. 10, 27. Hæc enim titulis electi in Scriptura descri- buntur. Intelligendi autem hæc non *ωρῶσκαυεσι*, sed perseveranter credituri, qui verà in Christum generis humani Redemptorem fide, hanc vitam terminant, juxta effatum Christi Matth. 10, 22. collato cum cap. 24, 13. Marc. 13, 13. qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit. Huc quoque facit illud Apostoli 2. Tim. 4, 7. 8. certamen præcla- rum certavi, cursum consummavi, fidem servavi, quod super est, repo- sita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die ju- stus judex; non solum autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus. Sic Salvator Apoc. 2, 10. Esto fidelis usque ad finem, & dabo tibi coronam vitæ.

§. 29. Constitutâ verâ & orthodoxâ de objecto prædestinationis sen- tentiâ, ulterius dispiciendum qualem adversarii nostri Calviniani hæc in re foveant opinionem. Fatendum autem est, eosdem hæc an- gvillam lubricitate suâ superare. Quidam enim eorum, qui ob id Ab- stractivorum nomine veniunt, existimant, non esse necessarium, ut de- finiatur, an Deus in eligendo homines consideraverit ut lapsos, an etiam ut nondum lapsos. In qua opinione fuisse Deputatos Synodi Zuythol- landicæ, constat ex Act. Synod. part. 2. pag. 79. Quorum de sententia

obie-

Eri -

objectum predestinationis erit homo communiter seu absolute consideratus, i. e. secundum universam rationem ejus & omnium temporum extra ullam qualitatam considerationem, adeoque consideratus à Deo quomocumque ut creabilis, creandus, creatus, labilis, lapsus, restaurabilis, restauratus &c. Verum præterquam quod hæc opinio impia, blasphema & in Deum multis modis injuria sit, ut quâ stante non potest non infontem & immerentem punire, quod tamen nefas divinæ justitiæ vel cogitando tribuere, eandem etiam satis refellit illud Apostoli *1. Petr. 1, 2.* ubi dicitur, quod *electio facta sit κατὰ πρόγνωσιν*, quæ talem præscissionem & abstractionem non admittit. Est enim præscientia sui præsciti præscientia; prævidit igitur Deus eligendos sub fidei qualitate, reprobandos contra sub notione *ἀπιστίας*. Hinc etiam *Laurentio ipsi Calvinistæ in δυσφωντ. Paulin. p. 287.* hæc commenta inconceptibilia videntur. Merito igitur eadem Patronis suis, à quæis profecta sunt remittimus. Quidam verò necessarium esse judicant, ut *objectum* determinetur. Hæc autem determinatio objecti occasio fuit rupturæ & scissionis in Belgio factæ atque hinc natæ famosæ istius distinctionis, quâ Calvinianorum alii fuerunt dicti *Supralapsarii*, alii *Infralapsarii*. Quâ de distinctione vid. *Remonstr. Act. in declar. art. 1. p. 11. & 23.*

§. 30. *Supralapsarii objectum electionis pariter ac reprobationis faciunt hominem nudè creabilem, qualis fuit ante lapsum, citra ullum respectum lapsus aut peccati consideratum.* Atque hinc contendunt, Deum ab æterno decrevisse ordine prius quosdam ad vitam æternam eligere, reliquos verò ab eadem reprobare, quàm eosdem creare decreverit. Agmen horum ducit ipse *Calvinus*, qui *lib. 3. Instit. cap. 21. §. 5.* inquit: *non pari conditione creantur omnes: sed aliis vita æterna aliis damnatio æterna præordinatur.* Itaque prout in alterutrū finem quisq; conditus est, ita vel ad vitā vel ad mortē prædestinatū dicimus. Vide etiā *cap. 24. §. 12.* It. in *Epist. ad Rom. c. 9.* & passim in suis scriptis. Vestigia ejus legerunt *Beza, Zanchinus, Martyr* aliique sectæ Calvinisticæ primipili, prout hoc integris tractatibus ex illis ipsis sectariis ostenderunt *Perkinsus pecul. tract. de prædest. VVitakerus in defens. hujus sententiæ contra Franciscum Junium, Gomarus in disput. de prædest. anno 1604. habita.* Et *Guilelmus Thissus in vindic. grat. ac provid. div. l. 2. part. 1. digress. 2. cap. 9.* Ubi multis ostendit, per massam ex qua fabricata

bricata dicuntur vasa Rom. 9, non intelligi hominem creatum & peccato corruptum, sed adhuc creandum: Deum figulum primum creasse chaos & massam indigestam hoc fine, ut ex illa alia vasa ad gloriam, alia ad interitum fabricaret, contrariam sententiam repugnare sapientiae & omnipotentiae divinae, quasi illa indiguerit, alio formatore vasorum, in quae exercere posset saevitatem suam. Gemina habet Gomarus in anal. cap. 9. Rom. part. 2. opp. ubi tribus rationibus conatur ostendere *objectum reprobationis* sive lutum perditionis esse hominem adhuc creandum, non verò hominem jam creatum & lapsum. Quarum 1. est, quod repugnet sapientiae divinae & principiis rationis humanae, Deum sapientissimum omnium artificem prius cogitasse de qualitate subjecti damnandi, quàm de damnatione ipsa. 2. Hac ratione non posse dici Deum, qui Figulo h. in l. comparatur, facere vasa ad interitum, sed aliunde facta saltem punire. Et 3. Dictum Jerem. 18, 6. non allegari ab Apostolo eodem sensu, de vasis praeter intentionem figuli corruptis, sed Apostolum ex sua propria sententia adhibuisse illud simile, ut ostenderet Deum destinare (a) luto finem, (b) indere luto qualitatem capacem ignominiae. De altera autem sententia quorundam confratrum suorum ait, *per se licere, si quis in re nondum decisa, servatâ in reliquis fidei* (Calvinianae) *analogia reprobationis objectum hominem lapsum censeat, eumque massae nomine intelligat, se verò causas satis manifestas ostendisse, cur cum Cl. Beza, Wittakero aliisque illustribus & praestantissimis Theologis plurimis per massam hominem adhuc creandum intelligat. Et si quis rem cum re, argumenta cum argumentis conferat, facile intellecturum, in hac sententia nulla Dei attributa laedi, in alterâ verò occurrere contraria sapientiae & omnipotentiae divinae. Videri etiam possunt Remonstrantes in Act. p. 25. ubi multa testimonia collecta sunt illorum, qui creationis decretum decreto electionis & reprobationis postponunt. Ut verò Tuvissus & Gomarus putent ex sua sententia nullum laedi idiomate divinum, vana tamen duntaxat est persuasio. Non enim negare possunt, Deo ex eorum sententia crudelitatis notam inuri atque sic ejus misericordiam ac benevolentiam laedi, utpotè qui juxta illorum hypothesein longè maximam hominum partem ad imaginem suam creavit tantùm hoc fine, ut capaces fiant ad infernales cruciatus recipiendos citra ullum ipsorum meritum, quae truculenta crudelitas est.*

Dein-

erla

Deinde falsissimum est, quod *Tuvissus* & *Gomarus* dicunt, *Deum ipsum preparare vasa ad interitum*. Contrarium ostendit diversitas & mutatio styli Apostolici in *cap. Rom. 9.* ubi v. 23. Apostolus de vasis gloriae quidem dicit in praeterito activo *ἀπεργητοίμασεν* quae preparavit Deus ad gloriam, sed vers. 21. mutat constructionem grammaticam & vasa ignominiae describit per praeteritum passivum, quod Deus multa lenitate & patientia vasa irae *κατηρτισμένα* jam preparata tulerit, non quod ipse prepararet. Quae variatio illationis probè attendenda est. Ex quâ simul patet, quid respondendum sit ad simile ab Apostolo ex Propheta citatum de liberâ potestate figuli faciendi vas ad gloriam vel ignominiam vers. 20. & 21. scil. hoc exemplum applicari ad Deum quoad *tertium libertatis*, non verò quoad *tertium exercitii* vel *actualis executionis* in decreto reprobationis & electionis. Denique absurda etiam est *Supralapsariorum* opinio hoc nomine, quia ponit accidens sine subjecto i. e. ponit decretum cruciandi ante decretum creandi subjectum cruciabile, decretum glorificandi ante decretum creandi subjectum glorificabile. Taceo jam reliqua innumera absurda, quae hinc sequi necesse est, studiosè collecta à *B. Grænero* in *absurd. absurdorum cap. 5. p. 344. ad 359.*

§. 31. Ad Argumentum autem eorum Achillicum, desumptum à Sapiencia artificis prius decernentis de fine operis, quod orsurus est, postea verò de mediis ad illum finem producendum aptis cogitantis, vj axiomatis: *Finis in cuiusvis sapientis consilio primò intenditur, at in executione est ultimus*, quod ad Deum ita accommodant, ut dicant, cum sit perfectè sapiens imò sapientia ipsa, stultum esse cogitare de eo, quod antea sollicitus fuerit, de homine creando, quàm decrevisset ad quem finem an salutarem sive perditivum eundem creare vellet: *salvationē & redemptionē esse fines creationis electorū & reprobatorū, ideoque hos fines in signo rationis divinæ prius intentos fuisse, quàm ipsā creationem, quae sit medium executivum salvationis & reprobationis*, responsum est à *Remonstrantibus in defens. primi de predest. art. Act. suor. part. 2. pag. 255.* Summa responsionis huc redit: *Primò dicunt, axioma istud non habere locum in finibus subordinatis, aliàs sequi si salvatio electorum aut damnatio reprobatorum esset finis primus in intentione eò, quod sit ultimus in executione, ergò progrediendo ad fines subordinatos, iudicium extremum esse secundum in in-*

G

ter-

rentione, quia proximum ab ultimo in executione & resurrectio mortuorum tertia in intentione, quia antepenultima in executione & sic deinceps, quod tamen absurdum. Deinde, si ad solum ultimum finem illud axioma restringatur, necessariam ac indissolubilem oportere intercedere connexionem inter finem & media & tunc valere illud, quod primò intenditur, ultimò exequitur. Secus autem si quis sapiens finem intendat assequi per media libera & contingentia, & tunc fieri, ut id, quod primò intentum erat, non sit ultimum in executione; eò quod finis intentus sit sub conditione ab humanâ libertate præstabili vel non præstabili, quâ non præstitâ non assequitur sapiens illū finē, quia non aliter, quam per conditionis præstationem finē illum obtinere decreverat, aut verò eâ non præstitâ illum finem missum facere, aut acquiescere, aut aliam de novo agendi rationem inire. Dant exemplum; *Sit Magistratus, qui propositâ quadam lege civibus suis sub conditione obedientie hunc finem intendat, ut, si illi morem gerant, premio aliquo illos afficiat. Quod si verò interveniat civium inobedientia, finis certè à Magistratu primò intentus nempe premium, non fore ultimum in executione, sed pœnam potius, aut aliter cum istis civibus agendi occasionem Magistratum illum suscepturum.* Sic etiam rem sese habere cum damnatione reprobatorum iusta, quæ licet sit ultimum in executione, tamen non fuisse primum in intentione. Id quod p. 256. multis conantur probare. Denique pag. 257. limitant axioma illud: *quod est ultimum in executione, illud esse primum in intentione, nisi repugnet naturæ ipsius decreti, ipsius decernentis, & naturæ ipsius mediæ ad finem illum ordinati.* Sic e.g. non posse patrem terrenum salvâ suâ pietate, justitiâ & naturali σοφῆ primò intendere infantis indefinitely considerati vivicomburium & secundò decernere ejus generationem; quia decretum illud primò intentum repugnet naturæ Patris & mediorum, quæ ex divina institutione ad illum finem comparata non sint. Ita quoque hic repugnare primum naturæ ipsius decreti reprobationis, decernere de hominum reprobatione, priusquam decretum factum sit de hominum existentia & creatione: *non entis enim non posse esse reales affectiones.* Deinde repugnare naturæ Dei decernentis declarare velle justitiam & iram in damnandis aut reprobandis tot millibus hominum, priusquam in considerationem veniat meritum & culpa. Tertiò repugnare ipsi medio, nempe creationi, per

sc

se intentam esse ad executionem prævii decreti de reprobatione. Cum creatio sit hominis ad imaginem Dei conditi ideoque boni, quale certè vas & instrumentum iræ esse non possit, nisi dicamus, Deum creaturam suam bonam exitio destinasse. Deinde creatio sit medium, quo Deus bonitatis suæ gloriam in essentiæ communicatione manifestare voluerit. At reprobis bonum esse non posse creari ad interitum, imò meliùs fuisse illos non accepisse essentiã per creationem, quàm ob hunc finè accepisse, ut ea æternis flammis cruciaretur. Vide ibidè plura.

§. 32. Qui *Sublapsariorum* nomine veniunt, *objectum electionis ac reprobationis* statuunt hominem jam lapsum. Quæ sententia à Synodo *Dordracena* etiam probata videtur, dum *Act. part. 1. p. 341. art. 1. §. 7.* ita scribit: *Est autem electio immutabile Dei propositum, quo ante jacta mundi fundamenta ex universo genere humano ex primæva integritate in peccatum & exitium suã culpã prolapsam, secundum liberrimum voluntatis suæ beneplacitum ex mera gratia, certam quorundam multitudinem ad salutem in Christo elegit.* Et huic sententiæ tum subscriptionibus suis, tum peculiaribus judiciis Synodo exhibitis adstipulantur Theologi *Britanni Act. part. 1. pag. 490. Palatini, p. 507. Hassiaci p. 520. Helverii, p. 537.* & reliqui tam exteri quàm provinciales. Suffragantur etiam *Molinaeus in jud. ad Synod. misso pag. 395.* verba ejus sunt: *Electio est decretum æternum, quo Deus ex genere humano lapsus & corrupto decrevit certos quosdam homines ex mera sua gratia per Christum servare.* Et *Paræus in jud. ibid. p. 287.* Quibus adde tres Professores *Leidenses Johannem Polyandrum, Anthonium Thysium & Anthonium Valæum. Act. part. 2. p. 1. Sibrandum Lubbertum in suffragio p. 14. Zeelandos p. 90. & 91.* qui dupliciter probant electionem factam esse ex genere humano lapsis, 1. quia propositum eligendi *Rom. 9, 15. 16.* vocetur *miseratio*; & *vers. 23.* electi dicantur vasa misericordiæ. Jam verò miserationem præsupponere miseriam, confirmante Paulo *Rom. 11, 32.* 2. quia gratia illa nobis data in Christo, de qua Paulus *2. Tim. 1, 9.* & peccatum præsupponat & illius remedium simul monstret. Quin imò omnia media electioni substrata, puta Christus Mediator, vocatio efficax, fides, justificatio, sanctificatio ad statum hominis corrupti sint attemperata. Vid. etiam judicia *Ultrajectinorum p. 96. Trans-Isulanorum p. 118.* & aliorum complurium hinc inde.

§. 33. Urit autem hi ipsi aliquantò propius ad nostram ortho-
 xam sententiam accedere, àque absurditate ac impietate *Calvini*,
Beze, *Zanchii*, *Piscatoris* aliorumque *Supralapsariorum* recessisse
 videri velint, glaucoma tamen duntaxat incautionibus ac imperitiori-
 bus faciunt, quo eò melius iisdem imponere possint. Id quod facili
 negotio ostendi potest. Ipsa enim *Synodus Dordracena Sublapsaria*
 prout vidimus, orditur quidem in canonibus suis reprobationem ab
 Adami lapsu, nullibi tamen eos, qui altiùs adscendunt ab illà dam-
 natos videbis. Neque etiam auditum fuit, vel minimà censurà notatos
 fuisse eos, qui post celebratam Synodum tam in Belgio, quàm aliis in
 locis, ubi Synodi decreta recepta sunt, publicis scriptis ac concioni-
 bus *Supralapsariorum* doctrinam acriter defenderunt. Unde patet
 eorum sententiam ipsi Synodò hæud seriò displicuisse. Quid? quod
 multi ex ipsius Synodi membris sententiæ *Supralapsariorum* fuerunt
 addictissimi. Qualis fuit *Festus Hommius Synodi Scriba*, qui in *The-
 sauro* apertè scribit: *Fructus rejectionis, aut ea quæ ex rejectione
 consequuntur, sunt (1.) creatio reprobatorum, (2.) desertio sive subductio
 gratiæ Dei & mediorum, (3.) excecatio & induratio, (4.) perseve-
 rantia in peccatis.* Talis etiam fuit *Gomarus*, prout §. præc. 30. ver-
 ba ejus citavimus, ubi apertè fatetur, rem de objecto reprobationis, si-
 ve an per massam *Rom. 9.* notetur genus humanum adhuc creandum
 aut creatum, *nondum esse decisam.* In eadem etiam sententia fuisse
*Deputatos Hollandiæ Australis Balthasarum Lydium & Gisbertum
 Voetium* inde liquet, quod in ipsorum iudicio Synodò exhibito ta-
 lem definitionem reprobationis adornarunt, in quâ nulla lapsus
 mentio fit; sed contenti sunt dicere: *Deum, uti quosdam tantum ad
 vitam æternam elegit, ita ab eterno decrevisse quosdam singulares
 personas ad gratiam & gloriam non eligere, seu præterire sibi que ipsis
 relinquere & justè propter peccata damnare ad laudem justitiæ suæ*
Act. part. 2. p. 79. Et hi tamen omnes Synodi Decreta subscriptio-
 nibus suis confirmarunt ac ratihabuerunt, quod procul omni dubio
 ab ipsis factum non fuisset, nisi mentem Synodi probè perspectam
 habuissent, suamque sententiam à Synodò minimè damnatam fuisse
 scivissent. Et sanè non leve indicium est, *Supralapsariorum* mon-
 strosam opinionem de objecto electionis ac reprobationis Synodi pla-
 citis non adversam fuisse judicatam, quod in ipsa Synodò sessione 132.
 Act.

Act. part. 1. p. 338. potioribus suffragiis visum fuit : propterea re-
 ctionem duriorum & incommodiorum locutionum, quæ in nonnul-
 lis reformatorum Doctõrum scriptis reperirentur, omittendam esse,
 ne (quæ ipsorum prætenso est) calumniari possint adversarii, reje-
 ctione phrasum incommodarum, etiam orthodoxam Doctrinam, quam
 professi essent illi, qui in ejus explicatione ejusmodi phrasibus durius
 & impudentius usi videntur, pariter damnari. Operæ pretium erit
 huc adducere verba B. Menzert, quibus admodum pulchrè Synodi
 Dordracenæ recidivatum ad Supralapsariorum monstra ostendit.
 Ita autem ille in *Triad. disp. disp. 2. de mente Calviniana Synodi Dor-*
dr. l. 5. p. 32. inquit: prædestinatio facta est ex genere humano juxta di-
 vinam præscientiam in peccatum prolapsa : quæ sententia verissima
 est, & expressis verbis a Synodo probata. Sed contra est (ut de Calvino, &
 Beza & eorũ sectatoribus nihil dicam) quod ipsa Synodus c. 1 art. 10. huc
 adducit dictum Rom. 9. 11. 12. Nondum natis pueris, cum neq; boni quip-
 piam fecissent neque mali, &c. dictum est (nempe Rebeckæ) major
 serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau odio habui.
 Nam electionem factam esse ex genere humano lapsa, & factam esse an-
 tequam homines (subintellige de ordine in præscientia divina) mali
 quicquam fecissent, dicuntur *ὁ ἰσχυρὸς ὁ θεὸς*. Siquidem ex Paradiso
 ejectus Adam non fuit, antequam fecisset aliquid mali Gen. 3. Quare
 si facta fuit prædestinatio antequam mali aliquid fecisset homo (in præ-
 scientia Dei) ergo facta fuit ante lapsum & non demum post lapsum.
Vid. plura p. 33. & 35.

S. 34. Ab utraque classe Calvinianorum, tum *Supralapsariorum*,
 tum *Infralapsariorum*, quantum ad objectum electionis discedere
 videntur *Hypothetici*. Quorum Primipilus dicitur fuisse Johannes
 Cameron Theologorum Ramus, quo nomine per sarcasum nuncu-
 patur à *Guilelmo Riveto* in *Epistola Apolog. ad Theophilum Rosellum*
p. 112. Alter ab illo fuit *Moses Amiraldu* in Academia Salmuriensi
 in Gallia SS. Theol. Professor Cameronis discipulus & postea quo-
 que Collega. Hisce duobus hancce phalangem claudi putat *Spanhe-*
mius in *Dissertatione de occasione Exercitationum suarum de grat. u.*
niv. l. 5. Sed hinc prætereundi, non sunt uterque *Crocins*, *Bergius*,
Hildebrandus aliique citati ab *Hildebrando* in *præfat. declar. orthod.*
p. 49. seqq. Hi quidem unâ nobiscum profitentur objectum præde-

G 3 stina

Predestinationis esse hominem fidelem futurum, sive quem Deus prævidit crediturum ex prævidentis gratia eaque efficaci. Veruntamen, si quæris, quid nomine *efficacis gratiæ* intelligant, & quænam sit Dei intentio de danda vel non danda hæc gratia, tunc dissentiunt. Orthodoxa sententia est, decretum de danda gratia efficaci pendere quidem à beneplacito Dei tanquam causa efficiente, non tamen absoluto, sed ordinato ad prævisionem boni usus primæ gratiæ, quæ omnibus verbi auditoribus communis est, & per quam omnibus tantam facultatem Deus largitur, ut possint saltem illâ non abuti i. e. primis gratiæ motibus per ejusdem gratiæ motus possint præfractè non repugnare, ad quam non repugnantiam ex instituto Dei semper sequuntur majores & fortiores gratiæ gradus, juxta illud Christi: *Habenti dabitur & abundabit. Matth. 13, 12. Marc. 4, 33. seqq.* Illorum verò sententia est, decretum de danda *efficaci & irresistibili* gratia pendere à solo & absoluto Dei beneplacito, juxta quod absolutè & sine alia causa decrevit quibusdam eandem dare, aliis verò & quidem plurimis hujus gratiæ speciem non dare. Quod de irresistibili quidem gratia verum esset, si daretur talis; de efficaci autem apertè veritati contrariatur, adeoque patet hos mitigatores in effectu cum reliquis rigidioribus Calvinianis de absoluto decreto amicè conspirare, licet rem horrendam aliis iisque mitioribus verbis efferant. Circa objectum reprobationis planè cum *Sublapsariis* consentiunt, esse nimirum hominem in peccatum quidem decreto Dei prolapsum, sed non alia de causa ex miseria illâ nunquam liberandum, nisi quia Deo sic placeat eum non liberare. Atque hæc etiam de objecto dicta sufficiant.

§. 35. Aggredimur nunc ordinis ratione sic postulante *Formam predestinationis*, quam consistere in debita *Idèes* ac ordine, quem Deus ab æterno in sanciendo electionis decreto sibi propositum habuit, & secundum quem electionem ab æterno decretam in tempore exequitur rectè ac orthodoxè adseritur. Quæ adsertio pro fundamento habet, exactissimam decreti cum ejusdem executione conformitatem; Et hæc voluntatis divinæ immutabilitatem à Mose inculcatam *Num. 23, 19.* Ni enim velimus statuere, Deum mutabilitati subjacere, ac si ipse, quod ab æterno hoc vel illo modo ac ordine, propter has vel illas causas decrevit fieri, postea illud mutatâ sententia alio modo ac ordine, alias propter causas in tempore executioni daret,

219

daret, necessum est, ut statuamus decreti divini cum executione con-
sonantiam. Quod nec ipsi Calvinistæ dissimulant, ut *Sohnius art.*
de prædest. p. 992. Cujus hæc est maxima, apud *Meisn. Dec. 2. disp.*
4. th. 18. quæcunque Deus ab æterno decrevit in tempore facere & exe-
qui, ea in tempore facit & exequitur, & sicuti decrevit, ita exequitur.
Et contra, quæ non decrevit, ea non facit, & sicut non decrevit facere,
ita non facit. Ordinem autem illum à Deo in prædestinando serva-
tum monstrat liber noster Symbolicus Formula Concordiæ strictè sic
dicta art. II. p. 802. seq. ubi octo gradibus eundem absolvit, quorum
Primus est, decretum de universali redemptione; *Secundus* de uni-
versali oblatione beneficiorum merito Christi impetratorum: *Ter-*
tius, de conversione per verbum: *Quartus*, de adoptione & justifi-
catione: *Quintus*, de renovatione & sanctificatione, *Sextus*, de tu-
tela & defensione credentium: *Septimus*, de conservatione ad fi-
nem vitæ. *Octavus*, de æterna glorificatione. Potissima autem con-
troversia, quæ nos inter & Calvinii assèclas *de forma* intercedit in
hac quæstione consistit: utrum illa sit *hypothetica an absoluta*. Po-
sterius Calvinianis arridet, pro quo etiam tanquam pro aris & fo-
cis pugnant, statuentes: *prædestinationem esse absolutam destinatio-*
nem creature rationalis ad æternam gloriam perducendæ, per media
singularia solis electis absolute & nulla alia de causa, quam quia sic
placet destinata. Non-electis verò absolute & tantum ideo, quia sic
placet denegata. Prout ex descriptionibus, quibus *Bucanus, Trelca-*
tius, Wendelinus, Polanus, Rivetus, aliique prædestinationem de-
pingunt, id ipsum videre licet. Nostra verò ac orthodoxa sententia
est, ad *formam prædestinationis* requiri, ut sit *hypothetica*, sive fun-
data in ejusmodi hypothesi, quæ quidem à Deo per gratiam præ-
stari, nequaquam verò ab homine per vires naturales produci pos-
sit, ita tamen comparata, ut ab homine executio illius hypotheseos
impediri queat, & frequentius impediatur per naturam, posse ta-
men ab eodem etiam non impediri per gratiam, quam *prævenien-*
tem vocant, & communis est omnibus verbi auditoribus. Prævisione
igitur non-impeditionis prævenientis gratiæ *formam prædestinatio-*
nis ingredi omninò statuimus. Et hanc prævisam non-impeditio-
nem, sive quod perinde est, non-rejectionem prævenientis sive primæ
gratiæ, nonnulli Nostratum vocabulo positivo exprimunt & expo-
nunt.

nunc

ant de ipsius fidei per divinam gratiam admittendæ prævisione. Atque hoc est, quod dicunt; fidem decretum electionis ingredi.

§. 36. Quod verò prævisio admittendæ fidei, sive quod idem est, non repudiandæ fidei eorumque mediocum, quibus fides ordinariè ac regulariter generatur, vel ut alii volunt, intuitus fidei omninò in signo rationis divinæ præcesserit ante factum electionis decretum; non tamen ita, ac si Deus fidem ex naturalibus viribus admittendam vel concipiendam ab æterno prævidisset, sed quod eam per prævenientem suam omnemque verbi auditum concomitantem gratiam, ab aliquibus admissum iri, ab aliis autem per voluntariam ac malitiosam contumaciam, naturali hominis repugnantia (per naturam enim omnis homo etiam primo motui gratiæ divinæ, & per consequens Deo reparationem ejus aggredienti repugnat, teste Appstolo Rom. 8. 7. *Φρόνημα ἡς σαρκὸς ἐχθρὰ εἰς Θεόν*) superadditam præfractè repudiatum iri præviderit, multis ex Scriptura petitis argumentis probari potest, quorum potiora delibabimus. *Primum* inde desumimus, quod electio dicitur facta κατὰ πρόγνωσιν secundum prævisionem Rom. 8. 29. collato cum I. Pet. 1. 2. quibus locis apertè distingvitur πρόγνωσις præscientia seu prævisio à *προβέσει* & *προορισμῶ*: decreto seu proposito, tanquam prius & diversum à posteriori. Unde simul patet hæc duo præscientiam sc. & electionem, non posse pro synonymis venditari, sed differre ordine, quemadmodum *ὑπόθεσις* & conclusio ex *ὑπόθεσει* facta, non sunt unum & idem, sed unum altero prius est. Accedit, quod *πρόγνωσιν* præscire sit actus intellectus, non solùm in hominibus, verùm etiam quando Deo tribuitur, *προβέσει* autem & *προορίζειν* sint & dicantur in scripturis actus voluntatis, adeoque hæc duo etiam subjectis differant. Unde firmisimè concluditur, prævisionem & electionem ex prævisione factam non esse synonyma, cum proponere, decernere, prædestinare & eligere, non solùm post *πρόγνωσιν* ordine collocentur, sed etiam diversis gaudeant subjectis. *Subiectum* enim *inhesionis* & *principium emanationis*, à quo pendet propositum electionis, expressè dicitur voluntas Eph. 1. 9. *elegit nos secundum propositum voluntatis sue*. Quo stante, necesse est, ut existat aliquod præscientiæ vel prævisionis divinæ objectum, ordine prius ante factum electionis decretum. Hoc autem quodnam sit & quale fuerit, clarè ostenditur à duobus Apostolis Petro & Paulo, & illo quidem

dem

dem 1. Ep. 1. 1. & 2. ubi scribit: *electis secundum prescientiam Dei Patris*
ἐν ἀγιασμῷ πνεύματος in sanctificatione Spiritus eis ὑπακοῆν in obe-
dientiam. Ab hoc verò 2. *Theff. 2, 13.* ajente; nos verò fratres debe-
 mus gratias agere Deo pro vobis, quod elegerit vos Deus ab initio eis σω-
 τηρίαν ad salutem ἐν ἀγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας in sancti-
 ficatione Spiritus & Fide veritatis, i. e. juxta usitatum ebraismaum, in fide
 vera. Quibus in locis præpositio ἐν contradistincta præpositioni eis
 ostendit, non *finem*, sed *objectum* electionis demonstrari, ita, ut sit
 sensus; Deum elegisse nos in fide, sive intuitu fidei danda & acceptanda.
 Non aliter, quàm sicuti *Rom. 4, 10.* Abrahamo dicitur imputata fi-
 des ad justitiam, non ἐν περιτομῇ in circumcisione i. e. in statu circum-
 cisionis, sed ἐν ἀκροβυστία in statu præputii i. e. intuitu fidei in statu præ-
 putii exercita, ut *v. 11.* explicatur: *Acceptit Sigillum justitiae fidei, in*
præputio exercita, ut esset pater omnium credentium in præputio: ita
 quoque his in locis phrasid *in fide* perinde notat ac *intuitu fidei.* Et
 hoc sensu etiam phrasid ἐν πίστει & ἐκ πίστεως frequentissimè ab Apo-
 stolo opponuntur phrasidibus in operibus, ex operibus, ut idem notent
 ac *intuitu fidei, excluso intuitu operum.* Conf. *Rom. 1, 17. c. 3, 26. c.*
4, 16. c. 5, 2. c. 9, 30. 32. c. 10, 6.

S. 37. Ne hilum quidem proficit *Piscator* objiciendo sequi in-
 de, non minùs electionem factam esse ex *prævisione sanctitatis vite,*
 quàm *intuitu fidei,* cum citatis locis dicamur electi ἐν ἀγιασμῷ, imò
 ἀγιασμός præponatur fidei. Sed R. negando per ἀγιασμόν locis al-
 legatis notari *habitualement morum vel vitæ sanctitatem.* Sanctificatio
 enim naturâ ac indole sua generale vocabulum est varios significatus
 admittens. Jam enim accipitur *genericè tam pro regeneratione,* quæ
 fit per solam redemptionem, quâ hominum status separatur à statu
 Diabolorum, quod hi non sunt redempti; homines autem separati
 sint à consortio Diabolorum per redemptionis pretium pro ipsis in-
 terpositum; quàm pro *sanctificatione sive separatione fidelium à grege*
infidelium, quæ fit per regenerationem & justificationem *habitualement*
morum sanctificationis contradistinctam. Uti patet ex *Joh. 17, 19.* ubi
 Salvator inquit: *ego sanctifico me pro ipsis i. e. offero & separo me ipsam*
in hostiam piacularem. *Ebr. XIII, 12.* *Jesus ut sanctificaret popu-*
lum per proprium sanguinem passus est extra portam. Huc facit et-
 iam *1. Cor. 1, 30.* *Christus factus est nobis sanctificatio & redemptio.*

H

Jam

Jam notat regenerationem, quæ fit per Baptismum, ut in illo Eph. 5, 26. Modò sumitur pro utroque beneficio Ebr. 2, 11. qui sanctificat, & qui sanctificatur ex uno omnes, c. 10, 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi, v. 14. unicâ oblatione consummavit in sempiternum, qui sanctificantur, v. 29. sanguinem testamenti profanum ducens, in quo sanctificatus est. Jud. 7, 1. Sanctificatis in Deo Patre & redemptis in Christo, 1. Cor. 1, 2. Sanctificatis in CHRISTO JESU vocatis sanctis; ubi sanctificatio præcedit vocationem. Specificè accipitur ἁγιασμός pro habituali & successiva morum sanctitate, ut Rom. 6, 19. Exhibete membra vestra arma justitiæ eis ἁγιασμών. v. 22. nunc servi facti Deo habetis fructum vestrum eis ἁγιασμών. Conf. 1. Thess. 4, 3. 4. 7. Ebr. 12, 14. Quia verò Apostolus Rom. 9, 11. intuitum bonitatis nostræ sequestrat à decreto electionis & rotundè negat Deum in eligendis ad vitam æternam quicquam boni in æterno suo consilio prævidisse; Sanctitas autem habitualis, sit bonum morale & nos nihilominus dicamur electi in sanctificatione Spiritus, sequi necessum est, locis 1. Pet. 1. & 2. Thess. 2, §. præc. allegat. sanctificationem Spiritus fidei præpositam generaliter sumendam esse pro separatione fidelium à cœtu infidelium factâ in signo rationis divinæ per prævisionem futuræ fidei. Neque hoc dissimulandum, multos orthodoxorum per sanctificationem Spiritus, intellectum velle II. cc. ministerium Evangelii: Per ἁγιασμὸν πνεύματος, inquit B. Menzerus in respons. ad defens. 2. part. convers. pruten. Crociz. p. 113. seq. intelligitur ministerium Evangelii, per quod Spiritus S. nos sanctificat, accensâ in nobis fide, quâ corda nostra purificantur Act. 15, 9. apprehensio nimirum Christo, qui à Deo nobis est factus ἁγιασμός & sanctificatio 1. Cor. 1, 30. sicut etiam D. Paulus appellat διακονίαν πνεύματος, 2. Cor. 5, 2. cui sanctificationi Spiritus respondet correlatum, vera illa fides, quæ per Evangelium efficaciter operante Spiritu S. in nobis accenditur: quam D. Petrus vocat ὑπακοήν obedientiam, sicut etiam vocatur Act. 6, 7. Rom. 10, 16. 2. Thess. 1, 8. Rom. 1, 5. c. XVI, 26. 2. Cor. 10, 5. 1. Pet. 1, 22.

§. 38. Secundum argumentum suppeditat itidem Apostolus Eph. 1, 4. ubi dicit, nos electos esse in Christo, jam verò propter perpetuum ac indissolubilem nexum Christi & fidei, necessario prævisio fidei electionis decreto supponenda est. Ubi enim in salutis nostræ negotio
Chri-

Christus conspicitur, ibi etiam ut adsit fides Christum constanter amplexura, necesse est. Merentur huc adscribi verba *B. Mentzeri* l. jam citato p. 115. ubi ita scribit: *Quicquid Scriptura enuntiat de nobis hominibus in Christo & per Christum, illud dicitur cum respectu ad fidem quâ Christus apprehendendus est, propter connexionem relati & correlati. Atqui Scriptura enuntiat de nobis hominibus, quod simus electi in Christo & per Christum. In Christo tanquam salutis fundamento unico: per Christum tanquam unicum vitam & salutis authorem & redemptorem Act. 3, 4. cap. 20, 28. Rom. 3, 24, 25. Hebr. 4, 7. 1. Iohan. 2, 1. E. illud intelligendum est cum respectu ad fidem, quâ Christus apprehendendus est. Citat ibid. Theophylactum, Hieronymum, Chrysostomum & Augustinum juxta quorum interpretationem phrasis eligi in Christo & per Christum tantundem significet ac eligi per fidem in Christo. Denique huc faciunt sequentia dicta 1. Cor. 1, 21. ubi Apostolus dicit: placuit Deo per stultam prædicationem salvare credentes. Secutus est Apostolus Magistrum suum Christum, cujus sententia extat Iohan. 6, 40. Hæc est voluntas Patris mei: qui misit me, ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Subscribit Jacobus cap. 2, 5. Deus, inquit, elegit pauperes mundi, divites in fide & heredes regni, quod promisit diligentibus ipsum. Quæ omnia si probè ponderentur, rectè ex illis concluditur, intuitum fidei decretum electionis ingredi, & nullatenus absque illo electionem factam esse. Quibus omnibus addi potest id, quod Ebr. 11, 6. dicitur, absque fide impossibile esse placere Deo, jam verò quos Deus ad vitam æternam eligit, si maximè ipsi placuerunt. E. non absque fide, sed potiùs ex prævisione fidei. Plura argumenta qui desiderat, videat *B. Mentzer.* d. 1. & *B. Meisn.* Dec. 2. disp. 4. th. 38. & 39. Probè autem illud hinc observandum est, quod Nostrates non semel inculcant, fidem, quam Deus in electionis decreto dicitur prævidisse, hinc à nobis non considerari, ut *causam meritoriam*, ac si Deus ob prævisam fidem tanquam propter meritum vel dignitatem fidei per se inexistentem nos elegerit, aut verò fides nomine boni propositi aut bonæ & laudabilis actionis veniat, sed dicimus eandem ingredi electionem tanquam *conditionem* à Deo prærequisitam & ad beneficiorum merito Christi partorum applicationem necessariam, non quidem ab hominibus ipsis per naturæ vires præstandam, sed per prævenientem divinam gratiam, quæ omni-*

mnibus verbi auditoribus communis est, producendam. Manet enim hoc, monente Dn. *Præsidi Brev. cap. 15. th. 14. à parte hominis nullam esse causam faciendi decretum Prædestinationis, & Deum in prædestinato nil magis invenisse, quam obrem eum ad vitam eligeret, quam in reprobo, nisi quod ipse gratiâ suâ introducturus erat in prædestinandum.* Quo observato expirat objectio Calvinianorum ex *1. Corinth. 4, 7.* quam identidem ingeminant, si ex prævisione fidei homo eligitur, sequi, quod seipsum discernat à coetu non-electorum.

§. 39. Frustra etiam Calviniani, ut obtineant, electionem factam esse absolutè absque intuitu fidei, nobis obvertunt *cap. 9. Rom. v. 15. 16. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis, & v. 18. cuius vult miseretur: Item v. 11. Antequam quicquam boni aut mali fecissent.* Ex quibus locis sic colligunt: si ex *merâ miserendi voluntate, gratiâ & beneplacito Dei electi sumus, sequitur Deum non prævidisse fidem in homine tanquam hypothesein ex parte salvandi necessariam.* Sed R. negando, quod *Apostolus ec. 11. per voluntatem miserendi, per gratiam & beneplacitum Dei, item per intuitum boni, prævisionem fidei ab homine per prævenientem illam & omnem verbi divini prædicationem concomitantem gratiam exclusam velit, quin potius contrarium inde sequatur, cum hæc ipsa vocabula omnia sint correlativa, & fidem tanquam correlatum suum præsupponant, tantum abest ut excludant.* Quod inde constare putamus, quia nulla promissio vel decretum Dei de salute humana applicari possit aut eidem sua firmitas constare, multò minus haberi queat pro promissione, si absolutè & citra suppositionem fidei sumatur, inculsante hoc *Apostolo Rom. 4, 4. & 6. Si ex lege est hereditas, evacuata est fides & inutilis facta promissio, propterea ex fide illa est per gratiam, ut firma sit promissio.* Parallelus est *Galat. 3, 18. Si ex lege est hereditas, non amplius est ex promissione, Deus autem voluit eandem conferre Abrahamo per promissionem, ideo v. 22. ut promissio daretur ex fide Jesu Christi credentibus.* Hoc verò certum est, per *voluntatem miserendi, gratiam vocationis & electionis, beneplacitum Dei & intuitum boni* excludi in signo rationis divinæ à decreto electionis præcedentem intuitum quorumvis operum sive per naturam, sive per gratiam aliquando edendorum, nequaquam verò intuitum fidei,

fidei,

472

fidei, quin potius, quod in hoc argumento operibus denegatur, quod in signo rationis divinæ nullus eorum intuitus decretum electionis præcesserit, eo ipso fidei adscribitur, quod ejus intuitus in signo rationis divinæ decretum electionis omninò præcesserit. Et hoc evincit perpetua oppositio gratiæ electionis & operum & è contrario perpetua subordinatio fidei & electionis gratiæ. Oppositionem inter gratiam electionem & opera probat inductio phrasæ Apostolicæ tum ex hoc ipso cap. 9. Rom. in quo expressè voluntas Dei miserendi solis operibus, soli contentioni ac cursui hominis salutem per sua opera, per suum cursum consecuturi opponitur, nequaquam verò fidei: vers. 11. cum nihil boni vel mali fecissent, ut propositum Dei secundum electionem firmum maneret, non ex operibus, sed ex gratia vocantis dictum est &c. Sic v. 16. Palus & electio non sunt volentis neque currentis hominis, sed miserentis Dei vers. 30. 31. 32. Gentes quæ non sectabantur justitiam, consecutæ sunt justitiam. Israel autem, qui vel maxime sectabatur justitiam, non est adsecutus justitiam, quare? quia non ex fide, sed ex operibus legis contenderunt ad justitiam, tum ex tota hæc Epistola, per totam enim Apostolus promissionem & œconomiam gratiæ & salutis sic tractat, ut ubique sola opera, nusquam fidem excludat. Confer cap. 3. 20. 22. 24. 25. seqq. cap. 4. 13. 14. 16. 20. 24. cap. 9. 4. 8. 9. adde Galat. 3. 19. 21. 22. Confirmat hoc itidem inductio vocabulorum *ωεγυνωστωσ* & *ωεγιστωσ*, quæ, quoties de œconomia æternæ salutis prædicantur, ubique solis operibus, nusquam fidei opposita deprehendes. Rom. 8, 29. cap. 11, 2. 5. 6. Eph. 1, 11. 12. 2. Tim. 1, 9. vocat nos vocatione sancta *κατα τα εγγαημων, αιδα κατ' ιδιαν ωεγιστωσ* & Petr. 1, 2. Subordinationem verò fidei & electionis gratiæ probat idem Apostolus 2. Thess. 2, 13. Elegit nos ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis, coll. cum Rom. 11, 5. ubi electioni fides subordinatur, simulque & complexè sumpta hæc duo opponuntur electioni ex operibus: In hoc tempore reliquæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt, vers. 6. si autem ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia, vers. 7. igitur quod requisivit Israel non est adsecutus, sed electio i. e. electi adsecuti sunt. Diverſitatis autem rationem ostenderat Apostolus cap. 9, 32. quia Israëlites per opera, gentes autem in locum Israëlitarum electæ per fidem adsequi justitiam conata essent. Denique sic argumentamur: Quo sen-

su opera & gratuita justificatio opponuntur, fides verò & justificatio gratuita subordinantur, eodem quoque sensu gratuita electio & opera opponuntur, fides verò & gratuita electio subordinantur. Connexionē hujus Majoris probat Apostolo Rom. 8, 30. coll. cum c. 9, 30. 31. 32. ubi ostendit eandem *ἔξου* esse inter fidem & prædestinationem, qualis est inter fidem & justificationem. Jam verò gratuita justificatio & opera sic ab Apostolo opponuntur ut non excludant, sed potius includant fidem, justificatio autem & fides sic subordinantur, ut fides ordine naturæ prior sit justificatione. E. etiam electio gratuita & opera sic opponuntur, ut non excludatur fides, ita subordinantur fides & gratuita electio, ut ordine naturæ in signo rationis divinæ prædestinantis receptio seu non-repudiatio fidei prior sit decreto prædestinationis. Atque hinc patet Calvinianos, quando sub exclusione intuitus boni & mali à decreto electionis, etiam intuitam fidei exclusum esse comminiscuntur, manifestam committere *fallaciam oppositorum*. Per *intuitum* enim boni, qui à decreto electionis dicitur exclusus, uti hactenus evictum est, *solum studium & contentio hominis* per opera salutem consequendi indigitatur, nequaquam verò *intuitus fidei*.

§. 40. Communis etiam objectio Calvinianorum est, quæ in scriptis ipsorum utramque paginam facit: *Fidem sc. esse consequens & effectum electionis* E. non posse esse causam vel conditionem electionis decretum antecedentem. Huic objectioni ut satisfaciamus, arridet nobis B. Mentzeri responsio, quam reposuit Crocio hoc argumentum objicienti in *respons. ad defens. ejusd.* 6. 12. p. 116. Respondeo, inquit Mentzerus, *ad palmarium adversarii argumentum breviter per distinctionem inter locutiones populares & exquisitas. Populariter nonnulli vocant fidem effectum electionis: & ipsam electionem dicunt fontem & causam omnium eorum, quæ ad salutem nostram requiruntur. Quæ quidem verè prædicantur de electione, propter Dei propositum, secundum quod facta est electio, & propter principem electionis causam, nempe Dei gratiam & dilectionem, ex quâ est Christus mundo datus, qui Evangelium nobis manifestavit, ex cuius auditu fides est, quâ salvamur. Convenit igitur hic axioma philosophicum: quædam dicuntur de toto quâ totum est: quædam dicuntur de toto propter aliquam ipsius partem. Sic conclusio dicitur Effectum, propter præmissas: Dicitur pars syllogismi, quâ totus est. Familie*
pars

pars sunt liberi : & ejusdem etiam effecta , propter parentes , qui liberos generant. Totius Ecclesie & totius Scholae partes sunt Doctores & auditores. Et tamen propter pastores & praeceptores dicitur Ecclesia & Schola generare Christianos & eruditos viros Ezch. 16. 20. 21. 1. Cor. 4, 14. Sic igitur electionis, quae tota est, pars est fides sive causa instrumentalis. Nolo enim de appellatione cum quoquam litigare. Dicitur autem fides effectum electionis propter Dei propositum & gratiam atque Christi meritum, quod annuntiatur Evangelio. Sunt enim in electione 1. Dei gratia, 2. Christi meritum. 3. Fides, quae ita sunt comparata ut primum sit causa secundi Job. 3, 16. & primum & secundum sint causa tertii. Eodemq; modo (quantum ad ordinem partium sive causarum attinet) se res habet in justificatione, quae tota constat ex Dei gratia, Christi merito & fide. Neque tamen inde negandum est, fidem esse effectum Evangelii, & Evangelium esse revelatum à Christo & Christum esse donum divinae gratiae. Proxima igitur causae fidei sunt : princeps quidem efficiens Spiritus Sanctus : & instrumentalis praedictio & auditus Evangelii & administratio Sacramentorum. Quae quidem fides est Christi donum ex immensa Dei gratia : per illa media. Hæc ille.

S. 41. Frustra verò hic in subsidium vocantur à Calvinisequis verba B. Lutheri dum scribit in pref. Epist. ad Rom. summar. c. 9. 10. & 11. Aus der ewigen Versehen Gottes fleisset ursprünglich wer glauben oder nicht glauben soll/ von Sünden loß oder nicht loß werden kan. Quasi hisce Megalander opinioni eorum de absoluto electionis decreto omnes causas etiam prævisionem fidei antecedente, adstipuletur, quod ne quidem per somnium B. Viro in mentem venit. Sed loquitur Lutherus de decreto ex suppositione facto, quod videlicet Deus iis velit dare & conservare fidem, quos prævidit oblatam prævenientem gratiam non esse perveraciter repudiaturus. Quæ non - repudiatio nequaquam est opus nostrum, sed opus Dei in nobis productum, cujus productio à nobis saltem impediri potest, per malitiosam resistantiam naturali repugnantia superadditam. Itaque hoc solum Lutherus voluit, prout sequentia ejus verba ostendunt : damit es ie gar aus unsern Händen genommen und allein in Gottes Hand gestellet sey daß wir from werdē per æternū electionis decretum omnem potentiam activam consequendi salutem evelli

ex

ex nostris manibus, totumque adscribi pure putæ divinæ gratiæ,
 quæ sic decrevit se prima gratiæ initia admittenti per eandem
 illam divinam gratiam prævenientem, quæ omnibus & singulis ad-
 mittendi facultatem dat, majores subinde gradus esse collaturum.
 Et hoc decretum vocat Lutherus fontem *salutis humane, unde fluat,*
quis credere vel non credere debeat. Videatur etiam B. Mentzerus *Im*
Christlich wohlgegründeten Bericht p. 174. ubi multis hanc in rem dis-
 serit & p. 176. sic scribit: *D. Luther und andere mehr verstehen öfter-*
mahl durch die Göttliche Versehen und Wahl der Erwehlung/ al-
les was zu unser Seeligkeit gehöret: und alsdenn wird recht gesa-
get / daß auch unser Glaube darin begriffen sey und dannenhero ent-
sprünge: Sintemahl es ist ein lauter Gnadengeschenck Gottes. Hinwie-
derumb aber / wenn wir unterschiedlich reden von der Liebe Gottes
Joh. 3. von Christo und seinem Ampt / von dem Evangelio und
seiner Krafft und von dem Glauben / so müssen wir sagen
mit S. Paulo und S. Petro daß wir erwehlet seyn (wie wir) auch ge-
recht gemacht werden) durch den Glauben/ oder in dem Glauben an
Christo. 2. Theff. 2, 13. 1. Pet. 1, 12. Daß also der Glaube das Mittel
ist/ durch welches wir ergreifen den Herrn Christum und in Christo
die Gnade Gottes der uns erwehlet zum ewigen Leben. Ad dictum
Augustini, quod obtorto collo huc quoque trahitur ab adversariis,
lib. de prædest. Sanct. c. 17. sic scribentis: elegisse Deum fideles ut sint,
non quia jam erant; non credere homines ut eligantur, sed potius eligi,
ut credant, It. c. 19. non quia credidimus, sed ut credamus elegit nos,
ne priores eum elegisse dicamur. Resp. hæc opposita fuisse Pelagio
& ipsum sequacibus Semipelagianis statuentibus: fidem esse ex no-
bis, eandemque considerari ut meritoriam electionis causam, prout
ipsorum sententiam exponunt Prosper & Hilarius in suis ad Augu-
stinum Epistolis. Rectè itaque hæc Augustinus ipsis opposuit, negans
propter fidem nos eligi: quapropter addit l. c. cap. 17: Ipsi
discipuli procul dubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum; Unde
non ob aliud dicit: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: nisi, quia
non elegerunt eum, ut eligeret eos, sed ut eligerent eum, elegit eos quia
misericordia ejus prævenit eos, secundū gratiā, non secundū debitū. Aliàs
planè eundē habemus οὐλόψηφον in hoc capite, Deū sc. elegisse ad vitā
eos, quos in Christum credituros præsciverit, ut constat ex tract. 24.
in Johan. ubi ita scribit, citante Magno nostro Gerhar. L. de Elect.
c. 9. d.

224

cap 9. th. 166. p. 215: Ideo dicit Dominus, qui ex Deo est, verba Dei audit, quoniam presciverat, qui fuerunt credituri, ipsos dixit ex Deo &c. secundum hanc predestinationem locutus est Dominus. Et de predest. & grat. c. 5. ait: antequam faceret nos Deus, prescivit nos, & in ipsa prescientia nos, cum nondum fecisset, elegit. Quæ merito Calvinianis opponenda sunt. Reliquas istrophas adversariorum, quibus nostram sententiam de prævisione fidei in decreto electionis labefactare conantur, discussas vide apud Gerhard. c. 1. p. 216. seqq. B. Meis. Dec. 2. disp. 4. th. 39. Bucani & Wendelini technas dispulit D. D. Danhauer. in Hodom. Spir. Calv. phant. phantasmatorum v. 59. p. 279. seqq.

§. 42. Media, per quæ Deus electionis decretum ab æterno factum in tempore exequitur, recitat Form. Conc. strictè dicta, Art. 10. p. 618. & in Solid. declar. p. 802. 806. seqq. Sunt verò illa ipsa in duplici differentia, quædam communia tam reprobis, quàm electis competentia, quædam verò particularia sive singularia ad solos iustificatos & electos pertinentia. Universalia sive communia sunt 1. Missio Salvatoris & per ipsum facta redemptio, 2. Beneficiorum merito Christi partorum annuntiatio & oblatio. 3. Decretum de voluntate efficaciter operandi per verbum, cordaque Auditorum ad veram pœnitentiam inflectendi. Sic enim F. C. loquitur p. 618. v. Christus omnes peccatores ad se vocat & promittit illis levationem: & serio vult ut omnes homines ad se veniant & sibi consuli ac subveniri sinant. His se Redemptorem in verbo offert, & vult ut verbum audiatur & ut aures non obturentur, nec verbum negligatur & contemnetur, & promittit se largiturum virtutem & operationem Spiritus S. & auxilium divinum, ut in fide constantes permaneamus. Universalia autem hæc esse, nunc probandum est. Et quidem de primo, universalitate scil. satisfactionis supra à nobis multis fuit actum. Secundum, catholicismum sc. prædicationis & vocationis per verbum, planum faciunt (1) Universalis Dei voluntas, quæ & quidem antecedente voluit & vult post Christi exhibitionem omnibus & singulis hominibus ubique terrarum prædicare & conferre notitiam doctrinæ de Christo ad salutem necessariam. Quod Apostolus indicat Act. 17, 30. Tempora huius ignorantie dissimulavit Deus, nunc annuntiat, ut omnes ubiq. homines resipiscant. (2) Universale mandatũ Christi omnibus Evangelium annuntiandi Marc. 16, 15. Ite in mundum universum & prædicate Evangelium omni creatura

rura. i.e. quodcumque ex creaturis Evangelium audire potest, illi debetis annuntiare, conf. *Matth.* 28, 19. *Luc.* 23, 47. (3) Ejusdem voluntatis ac mandati subsequuta *executio* per Apostolos & Apostolicos viros *Rom.* 10, 18. collato cum *Psal.* 19, 5. ubi Apostolus affirmat eandem latitudinē esse prædicationis de Christo, ac sit latitudo & extensio solarium solarium: *in omnem terram, inquit, exiit sonus eorum & in fines orbis terra.* Quasi dicat, quā latē sese extendunt radii solares, tam latē quoque portigitur prædicationis Evangelii. Et huc facit locus *Col.* 1, 28. ubi idem Apostolus: *annuntiamus Christum admonentes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Quo in loco fundatam vocationis universalitatem agnovit *Davenantius Episcopus Sarisburiensis Comment. in h. l.* ubi etiam exceptiones suorum complicum de populis Americanis & Brasiliensibus, quasi his ante superius seculum de Christo nihil innotuerit, prolixè refutavit. Denique quid benigna illæ ac blandæ Christi invitationes ac admonitiones ad omnes tam reprobos quàm electos directæ ut veniant & resipiscant, *Matth.* 11, 28. *Luc.* 14, 16. *Psal.* 95, 8. *Esai.* 65, 6. 7. querelæ itidem Dei de non admisione verbi prædicati apud reprobos *Esai.* 65, 2. *cap.* 66, 4. *Ier.* 7, 13. 14. 15. 26. aliud svadent, quàm vocationis per verbum universalitatem? De industria prætereo *tergeminam vocationem catholicam, primam* in Adamo, in ejus radice uti rota vena generis humani exaruit, ita quoque pro evangelio iterum in ipso refocillata est *Gen.* 3, 15. *Alteram* in Noacho post diluvium *Genes.* 9, 29. *Tertiam* in ævo Apostolico, de quâ modò dictum. Id quod *Ludovicus Crocius* ipse Calvinista agnovit *Synt.* l. 4. c. 6. scribens: *omnes homines universim Deus minimum ter vocavit* (1) *confestim post lapsum in lumbis Adami & Evæ Gen.* 3, 9. 10. 15. (2) *in familia Noachi Genes.* 9, 8. 9. (3) *in missione Apostolorum Marc.* 16, 16. *Act.* 1, 8. Plura qui desiderat de universalitate vocationis, legat *Dn. Præsidis Gamalselis mei omni honoris cultu venerandi Disp.* 2. de grat. *indeb. th.* 18. *seqq.* p. 140. *seqq.* nov. edit. Ubi etiā respondet ad objectionem Calvinianorum pro particularitate vocationis ab experientia desumptam, quam totā die nobis obvertunt, adductis testimoniis *Bullingeri, Musculi, Buceri, Parei, plurimumque Calvinianorum* in Synodo *Dordracena* non diffitentium Deum tantum gratiæ singulis admetiri, quo possint ad agnitionem veritatis devenire. Itemque relationibus *Ben-*

zonis,

25.

zonis, Larii, Acosta & Joh. de Laët attestantium de Brasiliensibus, Sinen-
sibus, Peruanis, aliisque utriusque Indiae populis, quod sub primū
Hispanorum in illas regiones accessum vestigia olim illic prædicatæ re-
ligionis Christianæ haud obscura apparuerint, & habuisse eosdem no-
titiā de diluvia, de mundi interitu, de Deo Patre ejusque Filio, de re-
surrectione mortuorum. Ex quibus liquet, extremæ impudentiæ indi-
cium esse, quod Spanhemius non attentis hisce suorummet complicū
testimoniis contrariū præfractè adserit *Exerc. de grat. univ. sect. 27.*
p. 1118. & sect. 31. p. 1219. in multis integris gentibus orbis Americani, ne
minimam quidem stricturam aut ullum vestigium vocationis ad fidem
reperit fuisse. De tertio, nempe decreto Dei, quod velit voluntate,
scil. antecedente ac universali per omnem prædicationem verbi effica-
cem esse, omnibusque ac singulis auditoribus tantam gratiam admeti-
ri, quæ immediatè & proximè sufficiat ad fidem, justificationem ac re-
novationē in homine producendam sic loquitur F. C. p. 802. *Decrevit*
Deus, se Spiritu S. suo per verbum annuntiatum, auditione perceptum
& memoriæ commendatum, velle in nobis efficacem esse & corda ad ve-
ram pœnitentiam agendam flectere, Et p. 806. *Spiritus S. per verbum*
(quo nos vocat) gratiam, vires & facultatem largiri vult. Et hoc
probat (1) natura ac indoles verbi sive seminis à Deo in terram proje-
cti, quod omne intrinsicam inditam habet vim, ac aptum natum est
ad sobolescendum, sive cadat in viam, sive in petram sive in terram
bonam *Marc. 4, 4. seqq.* (2) Æqualitas succi ciborum, apti nati ad spi-
ritualem nutritionem reprobis pariter ac electis conferendā *Matth.*
22, 4. & 12. Et (3) protestatio Christi seria, quod neque in instrumen-
tis, neque in se ullus defectus operationis sit aut causa cur non sequa-
tur salubris effectus, sed omnis causa ac culpa non consequentis salu-
bris effectus unicè hæreat in subjecto recipiente. *Isai. 5, 2. 3. 4. seqq.*

§. 43 *Singularia autem media solis justificatis ac electis compe-*
tentia F. C. c. 1. facit hæc, 1. sanctificationem, 2. in tentationibus
ac infirmitatibus conservationem, 3. in perseverantia confirmatio-
nem. Et 4. glorificationem. Hæc autem beneficia *nequaquam*
conferuntur electis ex absoluto decreto, quia sic placet Deo his solis,
præteritis reliquis eadem largiri, sed fluunt ex hypothese prævisæ non
voluntariæ abjectionis & excussionis oblatae gratiæ primæ. Et de hoc
æterno Dei proposito modificato ad prævisam hominis redempti, vo-

cati & ad pœnitentiam inflexi loquitur F. C. p. 802. & 803. quando inquit: *Dei eternum propositum est, quod omnes qui pœnitentiam verè agant, & Christum verà fide amplectuntur, justificare, justificados sanctificare, in infirmitatibus ac tentationibus adversus Diabolum, mundum & carnem defendere, gubernare, inceptum bonum opus promoverè, confirmare & conservare velit, sed additâ conditione, si modò verbo ipsius tanquam Scipioni constanter innituntur, ipsius opem implorent ardentibus precibus, in gratia Dei perseverent, ac dona accepta fideliter collocent.* Sic p. 806. *Deum adeo fidelem esse, ut cum bonum opus in nobis inceperit, illud conservare & continuare atque ad finem usque perducere & perficere velit: si modò non ipsi nos ab ipso avertamus, sed initiũ substantiæ usq; ad finẽ firmũ retineamus, juxta illud Ebr. 3. 14. ad quam constantiam suam nobis gratiam promisit.* Fundatur autem assertio nostra de decreto Dei conditionali justificandi eos, qui verbum auditum & perceptum per voluntariam petulantiam non excutiunt in illo Salvatoris *Matth. 13. 2.* ubi dicit, *habenti modicum dabitur & abundabit;* & *Marci 4. 26. seqq.* dicitur, quod semen verbi per se producat fructum, si non impediatur, per se etiam augeatur & crescat indies. Deeretum etiam conservandi & confirmandi justificados & sanctificados conditionale esse, & pendere ab hac hypothese, si modò ipsi scil. justificati gratiam acceptam benè collocent, neque per admissionem voluntariorum ac contra conscientiam patratorum scelerum eandem abjiciant, evincit illud clarissimum Salvatoris testimonium *Iohan. 15. 1. & 2.* inquentis: *Pater meus agricola est, & tollit omnem palmitem in me (qui sum vera vitis) non ferentem fructum, sed palmitem qui fert fructum, purgat, ut plus fructus adferat.*

§. 44. Calvinianorum quæ sit de mediis executivis sententia & quo ordine juxta illos sequantur, facilè liquet, si quis observet, doctrinam eorum de objecto electionis. Nimirum uti illis de objecto electionis & reprobationis non convenit, ita etiam de mediis executioni intervenientibus divortium sententiarum faciunt. Illi qui cum *Zwinglio, Calvino, Beza, Martyre* aliisque superioris seculi sectæ Calvinisticæ addictis faciunt, objectum prædestinationis statuente esse hominem ante lapsum & adhuc creandum, ipsam creationem pro instrumento ac medio executivo prædestinationis habent, quam insecuta dicitur

cor-

corruptio sive lapsus generis humani, huic subordinantur sequentia, quæ pro solis electis faciunt, ut sunt: *vocatio efficax, fides, fidei effecta, vita aeterna*. Ab altera parte reprobatorum sc. *lapsum* ex decreto Dei dicunt sequi *derelictionem, hanc indurationem, indurationis effecta, mors aeterna*. *Συμμετρία* hanc reperias apud Dn. Præsidentem Brev. c. 3. p. 24. § B. Meisn. Anthropol. Dec. 2. disp. 4. q. 2. §. 7. Illorum verò Calvinistarum, qui objectum prædestinationis statuunt hominem jam lapsum, de ordine & mediis executivis sententiæ in duas partes abeunt. Quarum una à *Synodo Dordracena* recepta fuit *Act. Syn. c. 1. p. 340.* cui accedunt *Leidenses in Synopsi prior. Theol. Polanus in Synt. Tilenus, & Wendelinus lib. 1. Christ. Theol. c. 3. §. 18. seq.* Secundum quos 1. medium executivum electionis ad vitam est *missio, incarnatio & traditio filii in mortem*, 2. *Annuntiatio beneficiorum merito Christi partorum, sive quod perinde est, vocatio* 3. *Collatio gratiæ efficacis, ut apprehendi & credi possint quæ annuntiantur*, 4. *Fides ipsa*, 5. *Conservatio in fide*, 6. *Sanctificatio habitualis*, 7. *ipsa glorificatio*. Et hæc pro solis electis facere affirmant. Reprobationis verò medium executivum 1. esse *derelictionem in peccato*, 2. *denegationem gratiæ efficacis ne credi possint credenda*, 3. *indurationem*, 4. *incredulitatem ac impœnitentiam*, 5. *finale in impœnitentia perseverantiam*, 6. *damnationem ipsam*. Alteram sententiam post celebratam *Synodum Dordrac.* tuentur *Amyraldus* ipsumque sequaces, quibus *Hypotheticorum* nomen cesit, qui distinguunt media executiva prædestinationis in *communia* electis ac reprobis, & *singularia per se & ex hypothesi*. *Commune medium per se* exequendi, tam electionem, quam reprobationem ipsis est *permissio lapsus*. *Missio* autem Christi, & per ipsum facta *redemptio* itemque *annuntiatio beneficiorum per Christum partorum, sive vocatio per verbum & intentio Dei* communicandi omnibus lapsis fructum & effectum missionis & satisfactionis Christi esse *media universalia*, non verò *per se*, sed *hypotheticè, si sc. singuli vel per naturam vel per sufficientem & inefficacem gratiam credere possent; posse autem negant*. *Singulare autem & particulare medium* exequendi electionem *absolutè & in se* esse *collationem gratiæ efficacis*, per quam fides salvifica generetur & conservetur, & hanc absoluto decreto Deum solis electis destinasse;

adeoque categoricè & per se missionem & satisfactionem Christi, vocationem per verbum cum intentione convertendi auditores, collationem gratiæ ad credendum necessariæ, fidem ipsam & ejusdem conservationem esse *particularia media* solis electis propria. Quantum verò hæc ipsa sententia à præcedente distet, facilè perspectu est, præsertim cum confitentés habeamus reos *Leidenses in judic. Exercit. Spanhem. præmisso & Spanhem. ipsum sect. 3. Amiralum & socios secum in centro doctrinæ de absolutâ electione convenire sc. Deum absolute decrevisse solis electis applicare bona merito Christi parta, dare efficacè gratiam per quam unicam ac solam fides salvifica generari ac conservari possit.*

§. 45. *Finis* prædestinationis consideratur bifariam, vel quoad nos, vel quoad Deum. Respectu nostri est vel *intermedius*, vel *ultimus*. *Intermedius* est sanctimonia vitæ *Eph. 1, 4. elegit nos, ut essemus sancti & inculpati coram eo. Rom. 8, 29. prædestinavit nos conformes fieri imagini Filii sui. Ultimus* quoad nos est salus ac vita æterna, *Act. 13, 48. 1. Thes. 5, 9.* Quoad Deum est laus gloriæ ac misericordiæ suæ *Eph. 1, 6. Elegit nos in laudem gloriose gratiæ suæ, 1. Pet. 2, 9. 10.*

§. 46. Finem sequitur effectus, qui duplex solet constitui, unus *absolutus*, alter *relativus*. *Absolutus* dici potest, *impossibilitas pereundi*, juxta illud Christi *Matth. 24, 24. Marc. 13, 22. Impossibile est electos seduci. Impossibilitas* autem hæc non intelligenda est de intrinsecâ immutabilitate causarum mediarum i. e. voluntatis & affectuum humanorum in illis, qui sunt electi, quasi hæc in se sint immutabilia, ita, ut per prædeterminationem physicam Dei influentem in voluntatem & affectus electorum necessariò determinarentur, ut non possint recedere à statu justitiæ; sed hæc impossibilitas magis propriè referenda est ad *infallibilitatem* divinæ præscientiæ & *impossibilitatem errandi* in Deo. Id quod patet ex II. alleg. ubi tantum sermo est de certitudine eventus & infallibilitate prædictionis Christi, quam Scholastici *infallibilitatē futuritionis* nominant, quando v. 25. *Matth. 24. Salvator* inquit: *ecce ego prædixi vobis, Effectus* respectivus electionis est donum perseverantiæ, in quo duo consideranda sunt, *unum* est collatio facultatis perseverandi, sive collatio illius mensuræ gratiæ, per quam homo conservatur in statu justitiæ; *Alterum,*

47.

terum, acceptatio illius gratiæ, sive nōn excusio. Neutro respectu perseverantia absoluta est, neque decretum ejus absolutum. Non primo; quia decretum offerendi & conferendi gratiam conservantem nititur prævisioni non rejectæ primæ gratiæ, quod clarissimè patet ex *Matth. 13, 25. Job. 15, 2.* Neque secundo respectu sive acceptationis ex parte hominis electi, quia dantur *θεογονατοι* ad tempus credentes & justi, qui postea recedunt *Marc. 4, 17. Ezch. 18, 26. Ebr. 6, 4. 5. 6. c. 10, 26. 29. 2. Pet. 2, 20.* juvat in hanc rem adducere verba Domini Præsidis ex *Brev. c. 14. 6. 5. & 6. p. 224. nov. edit.* Perseverantia quidem consequens est divina prædestinationis quoad infallibilitatem eventus seu futuritionis, imò actualem etiam collationem doni perseverandi, quod Deus negligentibus & refractariis, ex judiciaria voluntate largiri non vult: *Matth. 25, 27. 28. seqq. Joh. 15, 1. 2. seqq.* Non autem ejus effectus absolutus, quoad absolutam dependentiam motus humani, in exercitio fidei & pietatis à decreto prædestinationis: quomodo justificatio imputationis, glorificatio justificationis, & creaturarum existentiæ creationis seu verbi creantis: Fiat, absolutus effectus esse dicitur. *Matth. 24, 24. 1. Cor. 10, 12. 13. Ebr. 3, 6. 14.* Ratio differentie hæc est: quia Deus prædestinans perseverantiam hominis, supposuit, gratiam ad perseverandum olim offerendam non iri rejectum ab homine: A quâ non-rejectione prævisâ, non velut à causa, sed tanquam à conditione subjecti conservandi suspenditur continuanda gratiæ decretum *Matth. 13, 12. Esai. 5, 4. 5. c. 21, 43. Act. 18, 10.* Adeoq; perseverantia non est effectus absolutus prædestinationis, sed respectivus: creaturarum autem productio est effectus absolutus, non suspensus à creandarum rerum possibili refragatione aut ullâ alia conditione, quæ effectum & effectus decretum suspendere poterat.

§. 47. Fallunt itaque & falluntur Calviniani dum perseverantiam effectum prædestinationis absolutum & irresistibile faciunt statuentes. Deum uti paucis hominibus ad justificationis beneficium consequendum efficacem gratiam dat, eamque irresistibiliter convertentem, ita solis electis absolutè quia sic placet dare etiam gratiam irresistibiliter conservantem, quâ positâ electus non possit non perseverare. Atque hinc negant defectibilitatem & amissibilitatem fidei. Ita enim *Synodici Dordraceni art. 5. 6. 4. p. 370.* Potentia Dei fideles

in gratia confirmantis & conservantis major est, quàm quæ à carne superari possit. Et *th.* 6. hæc habent: Deus qui dives est in misericordia ex immutabili electionis proposito, Spiritum S. in tristibus lapsibus à suis non prorsus aufert, nec eo usq; eos prolabi sinit, ut gratiâ adoptionis ac justificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem, sive in Spiritum S. committant, & ab eo penitus deserti in exitum æternum sese precipitent. Et *th.* 8. Electi ex gratuita Dei misericordia id obtinent, ut nec totaliter fide & gratiâ excidant, nec finaliter in lapsibus maneat aut pereant.

§. 48. Adjuncta electionis sunt: *Æternitas & immutabilitas.* *Æternitatem* probant loca *Eph.* 1, 4. 2. *Thess.* 2, 13. *Immutabilitatem* verò electionis dicimus pendere tum à Dei decreto, quod firmum & immotum, Est enim electio facta secundum *evdxiav* voluntatis divine *Eph.* 1, 5. κατ' *idiaav* προθεσιν secundum proprium propositum 2. *Tim.* 1, 9. Tum à Dei præscientia, quæ falli non potest. Novit enim Dominus qui sint sui, 2. *Tim.* 2, 19. Vide *Meisn.* de hac immutabilitate omnium prolixissimè differentem *Dec.* 2. *disp.* 6. per totam.

§. 49. *Oppositum* prædestinationis est *reprobatio*, Cujus uberiolem & prolixiolem tractationem hîc subnectere angustiâ tum temporis, tum chartæ vetamur. Ideoque hîc pausa esto finientibus usitatâ concludendi formulâ :

SOLI DEO GLORIA.



VD 17

tempeln!

